SCAEVOLAE SAMMARTHANI POEMATA ET ELOGIA

Collecta nunc in vnum corpus, & ab auctore partim aucta, partim recognita.



Augustoriti Pictonum,
Apud viduam Ioannis Blanceti
Typographi Regij.

M. DC. VI.



EX EPISTOLA P. RONSARDI *ad J. Ant. Baïfium.*



DIj boni, quem mihi librum misisti à nostro Sammarthano conscriptum! non liber est, sunt ipsæ Musæ: totum nostrum Helicona testem appello. Quin & si de eo iudicium mihi cõcessum sit, velim equidem illum omnibus huius seculi poëtis anteponere: vel si Bembus, Naugerius, diuinusq; Fracastorius ægrè laturi sint. Dum enim perpendo quàm aptè suauitatem carminis puræ tersæque dictioni, fabulam historiæ, philosophiam arti medicæ coniunxerit, libet exclamare - deus deus ille Menalca, seculumque istud felix dicere, quod nobis talem, tantumque virum protulerit.



IOSEPHVS SCALIGER IVL. CÆSARIS F.

Ad Chrysæum,

De Scæuola Sammarthano.

SCÆVOLA *si cultis mulcet tibi versibus aures,*
Dum tua mens docti pendet ab ore viri.
Si lepidæ blandis inhiant tibi mille puellæ
Eloquiis, animo quæ sitiente bibis.
Cur felix mecum esse cupis, Chrysæe? quid vltra
Quo cæli tangas sidera summa petis?
Ille tenet cælum, cui præstant mille puellæ
Mille Deas, vnus SCÆVOLA *mille Deos.*



EX STEPHANI PASCASII QVARTO EPIGRAMmatum libro.

SEV Latios scribat, seu Gallos Scæuola versus,
Nil Latia aut maius Gallica terra tulit.
Roma suum iactet, miretur Gallia nostrum:
Cur ita? pro patria vouit vterque manum.



AD SCÆVOLAM SAMMARTHANVM.

CVI datum à superis vtraque lingua
Dextrè scribere, Gallicè & Latinè,
Atque vtrinq; parem referre palmam,
Non est SCÆVOLA, *sed mage ambidexter.*

N. RAPINVS.



GERMANVS AVDEBERTVS
D. MARCI EQVES
Torquatus.

AMBIGVAM faciunt palmam tua Galla Latinis,
SAMMARTHANE, tuis carmina carminibus.
Et tua nil Gallæ cedit Romana Camœnæ
Musa, nec æquali sustinet ire gradu.
Hæc siquidem magnum rediuiua mente Maronem,
Ronsardum ingentem nec minus illa refert.
Horum maior vter, vel vter minor? Ipse sibi par
Ronsardus soli est, Virgiliusq; sibi.
Ecquis erit iudex tantorum? Cynthius ipse
Cui potius primas deferat, in dubio est.
Si minor est neuter, si neuter maior habendus,
Nec tu te maior, nec minor esse potes.
Quin potius tu te maior, tu te quoque vincis
Et Latia & Galla, SCÆVOLA magne, lyra.




INDEX OPERVM QVÆ HOC VOLVmine continentur.



SCÆVOLÆ SAMMARTHANI PÆDOTROPHIÆ LIBER PRIMVS.

AD HENRICVM GALLIAE & Poloniæ Regem.



Vos licet illæsi studium immortale pudoris
Dulcia nosse vetet genialis fœdera lecti,
Et sentire pium tollendæ prolis amorem.
Hîc tamen Aonides (quid enim sine numine vestro
Fas audere mihi?) hîc etiam vestri aura fauoris
Optanda, hæc vestro quærenda est munere laurus,
Carmine dum tenui refero quis cultus alendæ
Sit soboli primùm in cunis, cùm debile corpus
Pabula iam exposcit viuo tradenda calori,
Queis vegetum tenera gliscat compagine robur

Paulatim, & graciles sese diffundat in artus.
Tu quoque (nam quæcunque vigent te dante vigorem
Accipiunt) rege cantantem tua munera vatem,
Phœbe pater, Geniúmque meo concede labori.
Fors erit vt majora canam, cùm tristis Enyo
Desierit cæcos armare in mutua Celtas
Vulnera, & externo quæsitus ab hoste triumphus,
Auspiciis HENRICE tuis fortissime Regum,
Materies aderit nostris accepta Camœnis.
Ecquis enim patriæ nasci de funere vates
Gaudeat, & proprio sua sanguine carmina fœdet?
Tunc ego siue trahes captos in vincula Persas,
Siue ferum Eoo pelles de litore Turcam,
Mahometisque domos & fana incesta reuelles,
(Nam neque tantus amor laudis, nec tanta cupido
Augendi latè imperij tua pectora turbet,
CHRISTI etiam vt sacro signatas nomine genteis
Impetere, & fœdus fraternum abrumpere malis)
Quicquid ages, tua facta canam, testisque laborum
Te sequar, & longæ tradam per sæcula famæ.
Ipse pater placidis lætum caput exeret vndis
Iordanes, plausúmque suo de litore reddet.
Ipsa è palmiferis mihi respondebit Idume
Saltibus, & Syrij referent mea carmina colles.
Interea cæli venientem in lumina Musam
Nunc prima ex ipsis iuuet incunabula cunis
Sumere, & imbelles teneram tractare puellos.

Tu verò, mihi quam fausta Iunone dicauit
Sanctus Hymen, sanctisque comes concordia votis,
Grata animo coniux, vitæ socia addita nostræ,
Me quando optata fecisti prole parentem,
Nec sinit alma Venus lentas frigescere tædas,
Accipe fœcundi communia pignora lecti
Qua tibi sit seruare via: ne pallida quando
Membra animus tenueis linquet diuersus in auras
Omnino toti moriamur, at optima nostri
Pars superet, gelido exutos quæ corpore manes
Componat lacyrmans, & iusta nouissima soluat.
Imprimis venerare hominum, Diuûmque parentem,
Qui tua non sterili turgescere semina campo
Concedat bonus, & florentem exornet amœna
Prole domum, in seræ solatia blanda senectæ.
Huic tu ritè pio memores age pectore grateis
Sacra ferens: teneram pacato numine plantam
(Ne dubita) infesti nulla inclementia cæli
Auferet ante diem, speratáue gaudia vertet.
Sed semper tepidas Zephyris mulcentibus auras
Præstabunt nitidi soles, & nubila pellent.
Tu modò cultum adhibe vigil, actutúmque benigno
Lacte riga; & niueis crescentem prolue riuis.
Nec mihi displiceat quisquis fuit ille sophorum,
Qui quondam edixit iucundi vt lactis amicos
Haud alio potiùs quàm matris ab vbere rores
Exugat puer, atque alimenta beata capessat.

Hoc adeò rerum illa parens, hoc optima poscit
Natura, officiiq́; pias in tempore matres
Admonet, & soboli prudens accingit alendæ.
Quippe simul grauida genitale resedit in aluo
Semen, & informis cœpit coalescere moles,
Augentur geminæ felici nectare mammæ,
Collectámque penum venturo & pabula seruant.
Pòst vbi iam aduenit, vagitúque oris acuto
Impleuit cunas miser, auxiliúmque petiuit,
Ilicet exundans claustris erumpere gestit
Humor, & infirmæ infantis succurrere vitæ.
Si prohibes, furit in mammis, turbásque dolorum
Miscet, & ingrata pœnas à matre reposcit.
Præterea cùm res ab eodem semine cretas
Dulcior humorum concordia misceat vltro,
An cibus esse potest Naturæ acceptior vllus,
Ipse suo quàm si de sanguine sanguis alatur?
Sponte fluunt alimenta suis accommoda rebus,
Cognatúmque bibunt membra haud inuita liquorem.
Non illum aduerso pugnans humore moratur
Temperies, via sed facilis se pandit eunti
Ocyus, & lætos meliorem educit in artus.
Aspicis vt mollem ætatem quæ plurima lædunt
Sæpe mala ad solitas pellant si quando querelas,
Maternæ tantùm (dictu mirabile) mammæ
Leniter admota puerilia ad ora papilla
Confestim sileat dolor, in ventósque facessat?

Scilicet ipse suo tanquam de fonte medelam
Haurire, & propria se mergere gaudet in vnda.
Huic etenim iam tum assueuit, cùm luminis orbus
Impleret tumidi latebrosa ergastula ventris,
In quibus ille idem qui nunc quoque corpus alebat
Humor, & exiles augebat sanguine venas.
Diuersus tantùm color est. nam sede relicta
Sanguis vbi calido exiliens se pectore miscet,
Et sursum niueis loca glandibus alba pererrat,
Purpureum ascito mutat candore ruborem
Coctior, hincque nouum sibi lactis nomen adoptat:
Res tamen vna manet. Ceu cùm Vulcania pubes
Vrget opus, rapidúmque incendit follibus ignem,
Plurima in ardenti candescit pruna camino.
Quam si fortè auidis libeat subducere flammis
Fumantem, & liquida totam perfundere lympha,
Apparet mutata oculis, positóque rubore
Nigricat obscura tinctus ferrugine carbo:
Materies penitus tamen immutata remansit.
Ille color porrò, quo non est mundior alter,
Conuenit infanti niueus, ne more ferarum
Ora tenella cruor, tanquam de cæde recenti
Tingat, & à primis sitis impia sanguinis annis
Inspiret crudelem animum, sed amabile nectar
Mitiget & doceat candori assuescere candor.
Ipsæ etiam Alpinis villosæ in cautibus vrsæ,
Ipsæ etiam tigres, & quicquid vbique ferarum est

Debita seruandis concedunt vbera natis.
Tu, quam miti animo Natura benigna creauit,
Exuperes feritate feras? nec te tua tangant
Pignora, nec querulos pueri li è gutture planctus,
Nec lacrymas misereris, opémque iniusta recuses,
Quam præstare tuum est, & quæ te pendet ab vna?
Cuius onus teneris hærebit dulce lacertis
Infelix puer, & molli se pectore sternet?
Dulcia quis primi captabit gaudia risus,
Et primas voces, & blæsæ murmura linguæ?
Túne fruenda alij potes ista relinquere, demens,
Tantique esse putas teretis seruare papillæ
Integrum decus, & iuuenilem in pectore florem?
Felix illa animi, quam non tenet impius error,
Cui nec amatorem tam cæca libido mereri est,
Posthabita sobole, vt verum malè-sanus amorem
Vincat amor, matrísque affectus exigat omnes.
Tu, cui concedunt meliorem numina mentem,
Sume vltro quodcunque operæ, quodcunque laboris,
Vt serues opus ipsa tuum, & pia munera præstes.
Quin age (nam me operis digressum à limine primo
Non piget hîc retro, quò res vocat ipsa, referri)
Ne moneo expectes dum claustro exuerit infans.
Sed simul extiterint concepti plurima fœtus
Signa, velut solito iam non redeuntia fluxu
Menstrua, mammarúmq; tumor, laxandáq; demum
Cingula, quæque notant prægnantes omnia matres,

Incipe iam tum operam firmandæ impendere proli,
Ne tua fortè illam remoretur culpa, necísque
Caussa eadem fias, vitæ quæ caussa fuisti.
Præcipuè angusto ne comprime corpus amictu,
Quo cingunt se more nurus quas Gallia nutrit,
Neu miserum infantem vitæ iam à limine torque
Crudelis, gracili dum te præbere videndam
Corpore aues, pœnásque tui luit ille furoris.
Nec tibi non etiam ipsa noces, corpusque coactum
Lædis, & hinc illum grauiora prioribus vrgent
Vsque mala insontem, quando ipso in ventre necesse est
Matris vt affectus proles captiua sequatur.
Ergo tibi ratio curandi prorsus habenda est
Corporis, inclusum gestas dum corpore fœtum.
Et quoniam morbis animi tanguntur & ipsa
Corpora, nempe alio Naturæ abducta facultas
Cùm vacat, & solito prohibetur munere fungi,
Vnde intemperies, crudíque grauissima succi
Nascuntur damna, & membrorum fœdera soluunt,
Vince æstus animi, nec te immoderata cupido
Tristitiésue, metusue agitent, aut noxia sæpe
Gaudia, & infirmam turbant quæ plurima mentem.
Sed semper placidum traducas leniter æuum,
Quà potes, & placidi custos blandissimus æui
Præbeat in vacuo facilem se pectore somnus:
Ille quidem haud nimio torpentia tempore membra
Qui teneat, sed enim quantùm satis esse videbis

Vtere, dum fessos recreauerit optimus artus,
Pellaturque labore quies, labor ipse quieti
Cedat, & alternis ambo sua munera præstent.
Nec nulla interea nimiæ sunt damna quietis,
Quippe vbi & obstructas vitioso sanguine venas
Implet, & ingentes humorum colligit imbres,
Ac viuum densa restinguit mole calorem.
Nonne vidēs crassis residet quæ pigra lacunis,
Vt putrescat aqua & fœtentem exsuscitet auram,
Lucida sed vitreo quæ flumine labitur vnda
Sufficiat blandos in pocula grata liquores?
Quare aliquo penitus tibi membra labore fouenda.
Motus enim, motúque calor stimulatus ab ipso
Absumet facilè graue si quid, inutile si quid
Officiat, proléſque nouas cùm erumpet in auras
Te leuiora manent partus tormenta, neque illam
Colluuies humorum ingens retinebit euntem,
Et validæ integro superabunt corpore vires,
Eniti quibus, & maturum carcere fœtum,
Téque simul longa valeas exoluere cura.
Ille tamen labor esto leuis quemcunque capesses,
Franget enim haud dubiè nimius, viréſque resoluet,
Quo fit vt assuetis interdixisse choreis
Inducar facilè, hæc nuribus licet vna voluptas,
Omnibus vna ferè est, omníque ætate palæstra:
Fors olim toleranda, grauis dum more Sabinæ,
Seu ludos, positis agerent seu seria ludis,

Perpetuum haud vlla temerabant parte pudorem,
Atque ipsi intererat seruata modestia ludo.
Nunc modus omnis abest, penitúsque insana puellas
Vis agit Euantes, mentisque intercipit vsum.
Bacchari credas, neque cùm vinosa Lyæi
Festa vocant alio lymphata furore Mimallon
Membra mouet, pedibusque sonantia percutit arua.
Neu satis exemplis non conuenientibus vtar,
Crediderim obscœno si qua olim turba Priapo
Sacra fuit, crotalis vbi cymbala mista crepabant,
Turpia non alio vibrari corpora motu.
Sic totæ exiliunt, sic dum vesania feruet
Penè sua excutiunt nudis velamina membris,
Sollicitántque viros, connexáque brachia stringunt,
Atque ipsa ante oculos tantum non corpora miscent
(Proh pudor!) & Venerem interea, quæ pestis acerba
Prægnantum esse solet, stimulo pungente lacessunt.
Vos venerem immodicam, ô matres, si cura salutis,
Vos venerem vitate: sibi nocet ipsa, suumque
Sæpe retexit opus: cordati qualis Vlyssis
Vxor amatorum turbam dum fallit hiantem.
Hinc igitur nimij dum ingens violentia saltus,
Illinc & prurigo suas agit improba partes,
Sæpe fit vt crudo mater vexetur abortu.
Haud equidem certè immeritò: sed enim ille misellus
Quid meruit, fœdi penitus qui criminis insons,
Necdum vlla ignoti traxit contagia mundi?

Qui fortasse (potens ut Sors agit omnia) magnæ
Summa olim caperet victor moderamina terræ,
Aut etiam arcanas naturæ quærere caussas
Doctus, inaccessumque animo peruadere cælum
Spargeret ingentem studiis illustribus orbem:
Fata modò impleret, neque in ipsis poneret orsis,
Quam nequedum accepit materno crimine vitam.
Vtque in plebeio lateat sine nomine cœno,
Ille tamen tua, si nescis, quem viscera portant,
Ille Dei mundum imperio torquentis imago est,
Omnia cui parent animalia, cuius in vsum
Quicquid alunt freta, quicquid humusq; & mobilis aër
Formauit pater, & se illi submittere iussit.
Et tu depositum hoc non tota mente cauebis
Ne pereat, quo non aliud præstantius vllum est?
Quod superest, tibi sit potus, tibi cura legendi
Summa cibi, & quodcunque legis tamen vtere parcè.
Improba ne fortè ingluuies etiam optima quæ sunt
Corrumpat, nimia infirmus cùm mole laboret
Ventriculus, nec iam possit satis esse coquendo.
Cruda nocent genus omne, nocent & salsa, malâmque
Si quid amaritiem sapit, ingratumque palato est.
Mollior escà eadem est melior, Cythereïa qualis
Ales, & ingenij faciens ad acumina turtur,
Perdicésque, capique, & cui dat nomina Phasis,
Et vitulus tener, & lactens signe cornibus hœdus.
Quòd si larga sinu tellus quæ diuite promit

Oblectant minus, & mutari prona voluntas
Appetit æquoreis veniunt quæ obsonia regnis,
Mollis arenosa potiùs quæratur ab vnda,
Saxa inter, refluóque alti de litore ponti,
Quàm qui limoso lentescit flumine piscis
Crassior, & visco torpentes oblinit artus.
Pelle sitim lymphis, vel amico pelle Lyæo,
(Præstat enim) et tamē hunc multis quoq; dilue lymphis.
Nec minus arboreis molles cum fœtibus herbæ
Arida sæpe iuuant iucundo corpora succo,
Sit modò delectus, sempérque tenendus in omni
Re modus : at seruare modum vix contigit vlli,
Vix grauidæ possunt animos compescere matres.
Sæpe etiam has monstrosa fames incessit edendi
Non tantùm viridi immaturos cortice fructus,
Vilia sed lapidum ramenta, lutumque, fimumque,
Et cinerem immundum, & cariosi fragmina trunci,
Et quæ præterea vitiosa cibaria mille
Naturæ haud quadrant, alióśque parantur in vsus.
Vidi ego quæ trepidis cristatæ matris ab alis
Nequicquam arguto crepitantes gutture pullos
Corriperétque ferox, & crudos protinus artus
(Sicut erant) auido crudeliter ore voraret.
Spumabant labra, & mistis cum sanguine plumis
Squallens in gremium sanies horrenda cadebat.
Non aliā est toruæ facies truculenta leænæ,
Cùm pellit rabiosa famem, rictúque cruento

Sanguinolenta vorat Libycos armenta per agros.
Dic mihi, Phœbe parens, tanti quæ caussa furoris,
Quóue modo (nam scire tuum est) quáue artè mederi
Sit fas, ne miseram perdat cum prole parentem.
Et vos Hippocratis florentes patris alumni,
Felices animæ, sese quibus optima pandit
Natura, & certas morborum noscere caussas
Indulget, fragilíque hominum succurrere genti,
Ne vestris adytis sacrum prohibete Poëtam,
Cui mouet idem ille ora deus, quem vestra verentur
Sacra vnum patrémque lyræ, authorémque medendi.
Principiò, quæcunque vigent, fusáque per artus
Augescunt anima, atque aliquo de semine manant,
Vitale auxilium & recreantia pabula poscunt.
Atque equidem ipsa suo hærentes in corpore stirpes
Blanda fouet tellus, & (ne modò desit amici
Aura poli) præsens alimentum haud parca ministrat
Radicum officio, trahitur quibus vtilis humor
Paulatim, & toto hinc plantæ se corpore miscet:
Vnde suus foliis vigor, & viridantia rident
Gramina, & aërias frondens subit arbor ad auras.
Quæ verò propriis animalia nata moueri
Sensibus, haud vllis affixa in sedibus hærent,
Cùm diuisa solo vitalem hinc carpere rorem
Non poßint, aliunde petant alimenta necesse est.
His ergo illa parens longè ditißima rerum
Pro locuplete penu ventrem Natura parauit,

Hic vbi congestásque dapes, externáque condant
Auxilia, infirmæque adsint in tempore sorti.
Quippe etiam hinc tenues se membra in viuida venæ
Diffundunt, radicum instar, quibus ille ciborum
It succus, fessámque instaurat sanguine vitam.
Nec modus aut requies auidis ante omnia venis,
Dum quicquid succi est sitis hauriat improba, & omnes
Ventriculi consumat opes, vacuumque relinquat.
Quinetiam absumptis opibus, mox impetit ipsum
(Tantus amor) suctúque ægrum diuellit iniquo.
Ille suis damnis dolet, optatúmque ciborum
Subsidium esuriens tanto in discrimine quærit.
Hinc ille est vacuo nascens in corpore sensus,
Appetere est cuius proprium, quique acer inani
Sese infert stomacho, & vescendi inspirat amorem.
Cui si fortè loco vitiosus inhæreat humor,
Protinus ipsa loci pro conditione libido
Appetit & vitiosa, malique ab imagine pendet.
Ergo vbi concepit mulier, quæque antè fluebant
Menstrua crescentis fœtus retinentur in vsum,
Ille tamen, donec firmarit tertia Phœbe,
Vix horum exiguam potis est depascere partem,
Quod reliquum est, superas parteis ipsúmque redundat
In stomachum, & praua suffusum vligine tingit.
Non aliter quàm si opposito pater obice Clanus
In caput ipse suum refluat, vicináque latè
Oblinat exundans informi iugera limo.

Atque ita cùm imbutus corrupto humore laboret
Prægnantum stomachus, vitiosa hunc sæpe libido
Corripit, vnde malum Graijs hoc Citta repertum
Exoritur (nostri Picam vertere vocantes)
Quando vteri mulier sub primum sæpe trimestre
Multa inhiat, cæcóque furore ardescit edendi
Quæ neque congrua sunt, neque rectus postulat vsus.
Ni faciat, desiderij (mirabile dictu)
Hæreat insigne infanti, maculámque relinquat.
Quódque magis mirere, auido dum pectore flagrat,
Qua se parte sui mulier malè prouida fortè
Scalpserit, ipse sui expressam feret editus infans
In simili quoque parte notam: grauis vnde puellis
Sæpe dolor, niueo quas turpis in ore figura
Fœdat, & in pulcro deformes corpore næui.
Et quoniam secreta semel recludere cœpit
Se natura mihi, libet hanc euoluere totam,
Insignísque notæ veras depromere caussas.
Hanc vtique optati vehemens molitur imago,
Tota vbi vis collecta animæ est, cui plurima seruit
Spirituum turba, & partem glomeratur ad illam,
Qua tactus ciet, atque rei secum ipsa cupitæ
Quam gerit effigiem subiecto in sanguine figit.
Dúmque adeò clausa fœtus latet abditus aluo,
Maternóque idem est illi cum sanguine sanguis,
Singula ab alterutro conspirant corpore membra:
Quo fit vt in matrem pariter, matrísque puellum

Spiritus intus agat: sed cùm sit durior illi,
Mollior huic cutis, obsequitur, solúsque tenellæ
More capit ceræ facilis quamcunque figuram.
Nunc age, quæ grauidas tanto à discrimine matres
Vindicet ars simul & pueros, aduerte, docebo.
Multùm adeò prodest (modò ne sint illa venenum
Quæ cupit impatiens mulier) concedere tandem
Nonnihil, & misero paulùm indulgere furori:
Dum fit enim voti compos, fruitúrque petito
Læta cibo, hinc totum pertentant dulcia corpus
Gaudia, natiuúmque agitant per membra calorem,
Qui coquat humorum omne genus, factóque meatu
Dissipet in crudo quod corpore lentius hæret.
Deinde acida imprimis, vel acerba, vel acria cum sint
Quæ fermè optantur, stomachum his abstergere quidni
Fas sit, & infixam pituitæ auellere pestem?
Capparis ante omnes, & amaræ succus oliuæ,
Quæque micant rutilis duro sub cortice granis
Punica mala iuuant, & quæ tulit inclyta Crete.
Quòd si adhibenda placent & pharmaca, tu licet illis
Vtare, & lapidem moueas haud segniter omnem,
Dummodo non desit consulti fida medentis
Cura tibi: at nugas procul amolitor anileis.
Omnibus his cæcam poteris depellere pestem,
Et secura mali partum expectare futurum.
Qui cùm aderit, magna ter voce vocare potentem
Lucinam esto memor, totáque incumbere cura

Vt saluum emittas nullo discrimine fœtum.
Adsit & obstetrix, quæ voce, manúque laborem
Subleuet, & socio contendat sedula nixu.
Tum leni ventrem vnguento, genitaliáque ipsa
Oblinat, & blando resoluta tepore relaxet
Claustra vteri, & puero venienti limina pandat.
At tu, siue toro decumbes, siue patenti
Sessilis hærebis cathedræ (quippe vtraque tuta
Est via) quo te cunque loco paritura locabis,
Forti vince animo quæ tormina multa vigorem
Frangere consuerunt, partúmque dolore morari.
Quòd si tantæ alacri superent in corpore vires,
Stare etiam vt pedibus valeas, erit optima stantis
Conditio: nam sic patulæ planissima portæ
Fit via, qua nullo anfractu nouus exeat infans.
Tu modò diductis extremam cruribus aluum,
Et genibus paulùm inflexis expandere porrò
Ne dubita, rigidisque intendere brachia neruis
Interea, & valido subnixa incumbere fulcro.
Tantæ molis erit perituram educere prolem!
Has autem meruit primæ vesana parentis
Ambitio pœnas, & iusti numinis iram.
Ille etenim verbo omnipotens qui condidit vno
Omnia fons rerum atque æui nascentis origo,
Cùm mare, cum pictum numeroso sidere cælum,
Libratámque suo fundasset pondere terram,
Et quæcunque vigent ex ipsa orientia terra,

Omnibus

Omnibus vnum hominem præfecerat, omnia ſolus
Qui regeret, mundúmque ſua ditione teneret.
Huic etiam dulcis rerum comes addita, quicum
Florentis vitæ pleniſsima gaudia tutò
Partiri, & longas poſſet componere luces.
Hortus erat, roſei quà lucida pandit Eoi
Se regio (Edenem dixerunt nomine patres)
Dulcibus & pomis, & dulcibus vtilis herbis.
Lenis vbi Zephyri molles tranquilla per vmbras
Aura ſuſurrabat ſemper, cælóque ſereno
Perpetuum tepidi ſeruabat Veris honorem.
Hanc ſedem, hæc illis viridaria læta benignus
Indulſit genitor, lectóſque induxit in agros
Primum hominem, verbis ſimul hunc affatus amicis;
I, decus atque operis meritò ſumma vltima noſtri;
Quæ tibi nunc habitare damus felicia rura
Ingredere, & noſtris actutum veſcere donis,
Quæ fœcunda tibi, & male-grati neſcia cultus
Terra feret, caræ iucunda in munera vitæ.
Tantùm (ſi qua tuæ tangit te cura ſalutis)
Huic vni memorem iubeo te parcere pomo.
Dixit, & oſtendit pendentes arbore fœtus,
Quorum à viuifico rerum orta ſcientia ſucco
Manabat primùm, & ſtudia inconceſſa docebat.
Ille Dei monitis & amico numine plenus
Ibat, & vnanima cum compare lætus agebat;
Vna illis cura ætherium laudare parentem,

Oblatisque bonis & libertate fruisci.
Nondum turpe scelus, sceleris nec debita merces
Prodierat labor, & queruli denso agmine morbi,
Et curæ vigiles, & ineuitabile fatum.
Sed simplex animos candor, sed molle fouebat
Corpus certa quies, & vtrinque erat æqua voluptas.
Felices ambo, nisi iam tum infesta maligni
Dæmonis ars nullum humanis durabile rebus
Esse bonum, nullam pateretur viuere pacem.
Hos ille immemores violato vt fœdere perdat,
Aggreditur vafer, atque dolos se vertit ad omneis.
Ac velut aduersis fœtam legionibus arcem
Captat vbi egregius tacito molimine ductor,
Obseruat muros oculis, & singula lustrat,
Num qua parte minùs firmò se mœnia vallo
Militibus præstent cupidis, aditúsque patescat,
Atque illuc toto irrumpens conamine tendit.
Sic hominum insidians generi teterrimus hostis,
Pectore quòd mulier fragili magis esset, ab illa
Ordiri, & primum placuit facere inde periclum.
Nec mora, cærulei forma se callidus anguis
Dissimulat: non ille ferus qui stridula vibret
Sibila, tabificóue minax liuore tumescat:
Sed blando sensim irrepens per gramina lapsu
Arboris infaustæ ramis fatalibus hæsit
Arduus, implicito per mille volumina trunco.
Tum molles aditus & tempora fraudibus apta
Legit, & humanis demum sic vocibus infit,

Nam quis te mulier tam vanus detinet error,
Vt quos naturæ dedit indulgentia fructus
Ipsa tibi inuideas demens, vescíque recuses?
Egregium verò imperium, memorandáque iura
Ille parens, vni cui cuncta accepta refertis,
Atque tibi, atque tuo concesserit antè marito,
Si vobis genus omne auium, genus omne ferarum,
Atque adeò ingentem penitùs subiecerit orbem:
Vos autem rerum dominos subiecerit vni
Arboris intactæ pomo, nec mandere sit fas.
Cuius partem imo tantùm si admoueris ori,
Protinus obscuram videas vanescere nubem
Ex oculis, victáque iubar caligine oriri,
Vnde boni atque mali diuina scientia vobis
Prodeat, insignésque nouo iam lumine spargat.
Atque hinc (si nescis) iniusti numinis illa
Inuidia est, dum vos consórtes laudis habere
Abnuit, & pomis ideo præstantibus arcet.
At tu pone metus, & inania despice iussa,
(Nam potes) erectóque iugum semel excute collò.
Aspicis vt prona demissus ab arbore fœtus
Se virides inter tibi ramos offerat vltrò
Arridens, tangíque tuo desideret ore?
Carpe age, & oblati ne respue muneris vsum.
Sic ait, occultóque implet muliebre veneno
Pectus, & illicitum vescendi inspirat amorem.
Illa leui iam tum ingenio male-prouida páret
Ocyùs & vetito sese contaminat esu.

Nec satis hoc: simili incautum capit arte maritum,
Et vocat in partem culpæ. exitialibus ambo
Indulgent epulis miseri, numénque lacessunt.
Atque hinc prima mali ventura in secula labes,
Dum pater indignans hæc lumine cernit iniquo
Omnia, & infandos vlcisci accingitur ausus.
Ergo florifero primùm expelluntur ab horto,
Succedúntque solo tristi, & pro mitibus aruis
Accipiunt duro fodiendam vomere terram.
Hîc vbi protinus irrumpunt asperrima in illos
Quæque mala, & diræ circunstant vndique pestes,
Efferáque imprimis venturæ Mortis imago
Imminet, & iam tum trepidantia pectora vexat.
Nec spes vlla fugæ, nec amœna in septa reuerti
Iam licet occludunt aditus in limine fratres
Aligeri, & stricto venientibus ense minantur.
Vox etiam infensi tenebrosa è nube Tonantis
Fulgure cum horrendo superas audita per auras,
Quæ non tantùm illos, sed ab illis omne futurum
Damnaret genus æternis pro crimine pœnis.
Atque adeò infelix tantorum caussa malorum
Supplicium luit hoc admissæ fœmina culpæ,
Vt quoties pareret, parientem mille dolorum
Vrgerent species, infestarentque pusillum
Robur, & optati turbarent gaudia partus.

FINIS LIBRI PRIMI.



SCÆVOLÆ SAMMARTHANI PÆDOTROPHIÆ
LIBER SECVNDVS.



ED iam vtero exiuit, vagitúque oris acuto
Impleuit cælũ puer, auxiliumq́ petiuit.
Vos agite ô similis miseratæ incommoda sexus
Ferte simul vestram huc operam vestrumq́ laborem
Ferte nurus, notæque alacres incumbite curæ.
Pars fessam optato genitricem imponite lecto,
Pars tenerum infantem tepidis inuoluite pannis,
Hæc nitidum statuat repetenda in balnea labrum,
Illa paret cunas, opere omnis ferueat ædes.
Túque adeò gnauæ dux præstantissima turbæ,
Tu fida obstetrix educti ante omnia fœtus
Scinde vigil media qui pendulus exit ab aluo
Omphalus, & turpi noua pondere membra fatigat.
Vtilis antè quidem, dum nutrimenta per illum
Captaret puer, in partes & dideret omnes:
Nunc autem informis, penitúsque superflua toto

Corpore pars, postquam iucundæ in munera lucis
Peruentum, & melior vescendi suppetit vsus.
Ne tamen accepto puerilis vulnere sanguis
Profluat, aut tenues vanescat multus in auras
Spiritus, augendæ cui vis est insita vitæ,
Stringe prius lana molli, cæsum inde recentis
Colline mastiches & olentis puluere myrrhæ.
Hac olim, vt perhibent, hæserunt parte gemelli
Fœmina virque simul, duplicique in corpore corpus
Vnum erat: exempto dehinc singula corpora nexu
Quæque suos habuere artus & libera membra.
Vsque adeò humanæ nulla est constantia sortis.
Nec minùs interea iuuet hîc prudenter acuto
Seruare obtutu quæ plurima signa futuram
Nascentis pueri vitam manifesta notabunt.
Debile nescio quid querulo si vagiet ore
Languidus, & lenti fugitiua subinde facesset
Vis animi, hinc illum inualido de semine cretum
Conijcias licet, aut captiuum alimenta bibisse
Noxia, materna vel cum prodiret ab aluo
Collisum nimijs infirmos nisibus artus.
Omnia quæ instantis præsagia certa pericli
Matribus esse solent. tu fessa amplectere amico
Membra sinu, infestúmque cáue pro tempore cœlum.
Si sit hiems, succede foco: si sæuiat æstas,
Quære leui Zephyro loca peruia, & vtile præsens
Antidotum interea puerilibus insere labris.

Quale quod inuentum est magni memorabile Regis,
Pontica quo viguit virtus, multósque per annos
Romuleum ancipiti remorata est Marte triumphum.
Nec frustra faciunt qui dulci mollia vino
Labra rigant, vino antidotum vix certius vllum est
Tu verò faciem si languescentis anhelo
Ore foues, animáque tepens afflante vaporas,
Forsitan hac illi ante omnes ratione mederi,
Collapsumque animæ poßis recreare vigorem.
Quóque magis patuli se temperet halitus oris,
Quàm prius incipias lenißima pectore flabra
Ducere, & in pueri torpentes mittere vultus,
Cinnama, vel si quid, quàm cinnama suauius vsquã est
Dente tere, & purum hinc fragrantior aëra mulce.
Quæ si nil prosunt, paruóque à corpore vires
Abscedunt magis atque magis, penitúsque fatiscunt,
Haud dubiè pallens ipso iam in limine Parca
Instat, & horrifico venientem destinat Orco.
Quem tu cunque illi impendes studiosa laborem,
Effluet incassum, & spem euentu eludet inani.
Sin vitalis erit partus, iucundáque vitæ
Nutrimenta aliquo laterum iam robore poscet,
Eia age ne grato incumbens hic parce labori.
Ac primùm quoniam immundo de carcere ventris
Contraxit toto hærentes in corpore sordes,
Balnea sunt adhibenda, quibus purgata colorem
Accipiat cutis, & posito squalore nitescat.

Non quo more tamen (si vera est fama) solebant
Germani veteres, rigido gens vna labori
Dedita, quæ teneris Martem spirabat ab annis.
Namque recens natos, matrisque à ventre calentes
Protinus in gelido glacialis gurgite Rheni
(Haud secus ac viuo candens in flumine ferrum)
Mergebant, cælique minas, inimicáque miti
Frigora Naturæ à prima iam ætate docebant
Spernere, & humanos durare immaniter artus.
Quod quicunque pati potuere, neque algida membra
Deseruit subitò viuus calor, ilicet illos
Caucaseis ortos de rupibus esse fatendum est.
Non illis ego fœmineas concedere mammas
Sustineam: tales Gangetica Tigris alumnos
Vendicat, & duris gestit nutrire sub antris.
Tolle ferum morem, & meliores elige ritus.
Ipsa etiam doctis iamdudum exculta Camœnis
Hunc fugit, atque animos Germania damnat auorum.
Quàm melius tepida infantem lustraueris vnda!
Atque equidem hæc satis est, nec me non iudice multi
Quæ miscere solent contemnere cætera debes.
Tantùm, si tenero vis fortè illata puello
Liuentes inter pariendum oppresserit artus;
Adde rosas molles, & amœni Veris amicam
Anthemida, & viridi nascentem in cortice muscum;
Et quæ præterea membris magis apta leuandis
Esse solent, nimio si quando labore grauescunt.

Intereà exiguas paruis cum naribus aures,
Atque oculos, ipsúmque manu purgare palatum
Expedit, & leni digitorum abstergere pressu,
Atque rudes animæ imprimis aperire meatus.
Dúmque adeò egelidis resoluta liquoribus ipsa
Mollescunt membra, & dedunt se mitibus vltrò
Obsequiis, lentæ in morem tu flectere ceræ
Sis memor, & recta quæque exæquare figura
Perpoliens, vt primi hominis cùm duceret olim
Diuinam effigiem (quisquis fuit ille Prometheus)
Spirantem artifici læuabat pollice terram.
Ni facis, incassum hoc studio tentabis inani,
Post quam obduruerint annis venientibus artus.
Quinetiam tibi mox durari primula debet
Arte cutis, calido ne fortè recenter ab antro
Editus insueti frigus penetrabile cæli
Non ferat, & totis miser artubus horreat infans.
Ceu Libyes olim sitienti è rure viator
Cùm petit Arctoos mutato sidere tractus,
Horret ad algorem insolitum, & Borealia flabra
Ferre nequit, denso nisi tegmine muniat artus.
Ergo cutem vt raram post mollia balnea denses,
Hanc totam salis albiduli continge minuto
Puluere, nec prima intereà cunabula desint,
Linteáque & panni, & leuibus super addita pannis
Fascia, multiplici quæ molle volumine corpus
Vinciat, æqualíque super discrimine serpat.

Iámque fatigatum tantísque laboribus ægrum
Tempus erat puppum optato permittere somno.
Sed quia difficilem ieiuno ventre soporem
Esse docent vacuo errantes in corpore vanæ
Vmbrarum species, & inania somnia veri,
Pasce aliquo prius ora cibo : neque dum tamen ista
Sit ratio, vt quod alat multùm spectare labores.
Elige quod purget potius, præque omnibus vnum
Elige mellificæ vario quem è flore volucres
Diuinum aërij concinnant roris honorem.
Nec tantùm Hybla tibi, nec tantùm pulcher Hymettus,
Aut quæ melliferas felix alit India cannas
Mel dabit eximium & cælesti munere pascet.
Ipsa etiam ex omni quæ parte beata superbit
Gallia (præsertim quà diti Martius orâ
Dat nomen Narbo & Genium cum nomine seruat)
Sufficiet, quo non aliæ preciosius vllum
Fundunt nectar apes, niuei seu cura coloris,
Siue saporis erit qui sacchara dulcia vincat.
Corpore purgato, superest mandare quieti,
Molliter & stratis ad somnum imponere cunis.
Tu verò pariter fuge frigoris atque caloris
Expertem thalamum : nimio de frigore manant
Rheumata, spiritibus calor officit, omnia iniquo
Sunt extrema loco, medio via tramite tuta est.
At muliebre modo ingenium cùm nesciat vti,
Parte ferè hac peccare solet, dum infantis ineptam

Curam agit, ut plusquam satis est loca frigida vitet
Semper, & immodico noua membra calore resoluat.
Vnde graues matrum gemitus, cùm dulcis adempta
Spes perit actutum generis, viduásque relinquit.
Auctus erat sexus melioris prole cupita
Franciscus, quem magnanimi gens Martia Bruti
Extremum est venerata ducem, quà flumine largo
Labitur Andinæ Ligeris fœcunda relinquens
Arua plagæ, pontúmque subit pulcherrimus amnis
Successúque nouo læti sacra templa parentes,
Et celebres donis onerabant grandibus aras,
Hæredémque senes patrij spectare iuuabat
Imperij, & seros quod nomen abibat in annos.
At puerum nimia dum sedulitate tuetur
Cæcus amor, neu sopitum fortè aspera lædant
Frigora, liberiore frui vetat aëris haustu,
Perdidit heu miserum infelix! & mersit acerbo
Funere, spémque simul seruandi nominis omen
Amisit: quippe orba illis superauit in aula
Fœminei tantum neglecto ex ordine sexus
Externos olim soboles aditura Hymenæos.
Nempe importuni sensim traxere calores
Spirituum intus quicquid erat, vitámque fouebat.
Qui dum abeunt, viui simul eduxere caloris
Natiuos ignes, neque iam vdi tempore somni
Affuit infirmo stomacho satis vnde caleret:
Atque ita cùm graciles corrupto sanguine venas

Crudior impleret succus, fugitiua reliquit
Languidulos artus anima, in ventó que recessit.
Illum adeò indigna claudentem lumina morte
Oceanus pater vt vicino è gurgite vidit,
Ingemuit, luctumque ducis comitatus amici
Non tenuit lacrymas Deus, indulsitque dolori.
Illum & Aremoricæ fusæ per tristia Nymphæ
Litora lugubri cum carmine defleuerunt.
De quibus vna, Quid ô tamen hæc lamenta sorores
Funditis, & vano turpatis lumina fletu?
Scitis enim (nec cæruleas cælestia fallunt
Fata Deas) quanta hoc damno sors æqua rependat
Commoda, se quibus Armoricum super ardua nomen
Astra ferat, nostrumque nouis successibus æquor
Crescat, & Adriacis meritò se præferat vndis.
Nempe dies erit, elato cùm sola superstes
Anna patri, egregio pulcherrima corpore Nympha
Francorum augustum Regem felicibus vrat
Ignibus, & tanti mereatur coniugis esse
Digna comes, séque illius sub iura, suumque
Imperium placito populorum fœdere tradat.
Vnde genus, mistáque olim de gente nepotes
Subcrescent Vallæsiadæ, longè optima bello
Pectora, nec sacri non obseruantia Phœbi:
Quorum per varios virtus inuicta labores
Antiquæ Ausoniæ tumidos premet æmula fastus,
Totámque ipsa suo subdet sibi tempore terram.

Et nos tantorum decorum, laudísque futuræ
Partem aliquam iuuet esse, neque hac mercede potenti
Dotales pigeat Celtæ seruire Britannos.
His dictis erecti animi, curæque remotæ.
Ille tamen iacet interea, teneróſque per artus
Marceſcit, flos vt nimio deiectus ab imbri,
Quem gremio vixdum ediderat mitiſsima tellus.
Ergo, ne similis tua casus gaudia turbet,
Ducentem placidos exili pectore somnos
Ne penitus prohibe infantem felicibus auris.
Dum porrò ducit somnos, age prouida mater,
Corpore quos toto partus fecere labores
Paulatim requie blanda compone tumultus.
Vt iam experrectum, lactíſque alimenta petentem
Tutius ipsa tuo non ingrata vbere paſcas.
Donec enim fuerit luxatis reddita membris
Temperies, nunquam id tutò præstare licebit.
Nec verò, niſi iam pietas in pectore nulla eſt,
Languida ſic cæcæ caligant lumina mentis,
Vt fidei mauis alienæ pignus alendum
Credere, quódque negas mater, venalibus illud
Sperandum eſſe putes, demens, nutricis ab vlnis.
Si tamen optato prohiberis munere fungi,
Siue quòd ægra negas oneri ſatis eſſe ferendo,
Siue quòd ipſe dolet puer, & fortaſſe verendum eſt
Morbida ne infirmi lædant contagia matrem,
Quæ tibi ſit nutrix aliunde petenda docebo.

Elige quæ media est inter iuuenémque senémque:
Quæ gracilis, nec macra tamen: cui viuidus oris
Est nitor, & sano veniens in corpore robur:
Brachia longa, patens pectus, proceráque ceruix,
Quæque rubent teretes extanti tubere mammæ,
Vnde pluit niuei quantum satis imbris, & illi
Delectus suus est, ratióque haud omnibus vna.
Optimus est dulcis lactis sapor, optimus albi
Est color, ingratum fugio quod spirat odorem,
Et quod, si vngue probes, aut crassum lentius hæret,
Aut fluidum cadit. illud item memor aspice pondus
Ne nutrix gerat, exacti neu tempora fœtus
Longè absint, neu crudum ægra proiecerit aluo:
Denique non animo, non corpore sordida honestè
Sese habeat, durúmque hilari fuget ore rigorem.
Forsitan & puerum procul amandabis ad illam.
Nempe tibi infirmæ ætatis ne incommoda mille
Suaues abrumpant somnos & gaudia turbent.
At saltem, nisi iam affectus planè exigis omnes,
Quæ miseræ soboli carpenda sit aëris aura,
Quærere ne pigeat matrem, ætatique tenellæ
Prospicere, atque grauis vitare pericula cœli.
Quale ferè est quà pigra palus, limosáque circum
Stagna sedent, craßásque exhalant fumida nubes.
Sed neque tuta satis domus, optandíue penates
Hic vbi siderei radiis malè peruia Phœbi
Conuallis densos inter iacet infima colles.

Illa placet, campi quæ sese attollit apertò
Æquore, cui ridet tranquillis aura serenis,
Cuius & Eoa cùm primùm emersit ab vnda
Sol nouus albenti lucentes manè fenestras
Intrat, & aurato perfundit lumine tectum.

At quæcunque noui curam meditare puelli,
Seu mater, seu tu nutrix aliunde petita es,
Abstineas Venere & Baccho, nec iniqua laborum
Tædia, nec tristes animi non effuge curas.
Ne tamen interea nimiæ ne crede quieti,
Læta sed exerce moderata membra palæstra,
Et virides interdum hortos loca dulcibus auris
Grata pete, ante epulas & primæ tempora mensæ.
Nec pudeat famulas inter secreta latentem
Munia obire domi, seu molles sternere lectos,
Seu sit opus vili purgatam furfure massam
Puluerea in mactra nudis versare lacertis,
Aut tenues stupas, aut album pectere linum.

Cùm verò accinges te operi, laticémque recludes
Dulcifluum, teneróque alimenta parabis alumno,
Primula ne infelix ad pocula nauseet infans,
Si quæ fortè vdo contractæ à tubere sordes
Infecerè sinum, has tepidis ante omnia lymphis
Elue, quódque tibi manabit ab vbere primum
Proyce lac: primi iactura facillima lactis.
Quippe cutis summæ extremis quod partibus hæret
Longius à viuo natiui fonte caloris

Distat, & impuro mucesçit inutile succo.
Quóque rudem edoceás magis, ignarúmque bibendi,
Rore riga niueo inuitans, & mollia in ora
Fontibus è geminis purum eiaculare liquorem:
Arripiet mox ipse auidis libata labellis
Pocula: neu paruæ, noua dum vix incipit ætas,
Deficiant vires, & frustra optata capessant,
Profuerit leni turgentes pollice mammas
Interea premere, auxiliúmque afferre trahenti.
Non tamen vt penitus largo se proluat haustu
Crediderim fas esse: epulas moderare fluenteis,
Et concessa nega, & rursum concede negata
Vbera, paulatimque auidum compesce morando.
Qualiter accipitrem dum sedulus educat olim
Siue Rhodi, siue æquoreus celsæ incola Cretes
Pastum interpellat remorans, quásque obtulit aufert,
Ablatásque subinde dapes & pabula reddit:
Ne fortè immodica volucris se ingurgitet ardens
Ingluuie, & bene vix gustatam deuoret escam.
Præterea vigili studio perpende quid ætas
Quæque ferat, quid temperies non omnibus vna.
Nempe rècens natis primóque fruentibus æuo,
Aut quibus est tenue infirma compagine robur
Parcius indulgere velim, quàm plusçula si sint
Tempora, & in vegeto non desint corpore vires.
Nec tibi quóque die lactandi certa puelli
Tempora præscribo: ipsa sibi Natura magistra est,
Hanc

Hanc sequere, & quoties queruli vagitibus oris
Poscet opem miser, huic fer opem haud inuita roganti,
Nec pigeat strophio toties nudare soluto
Rorantes mammas, & te praebere bibendam.
Non illum non usque tuo sola ubere pasces;
Adueniet tempus, nec te mora longa manebit,
Postquàm Luna suum bis quarta impleuerit orbem;
Cùm primi incipient crescenti emergere dentes,
Qui solidas adhibere epulas, lactique subinde
Parcere, & alternis pastum variare monebunt.
Hîc autem grauibus multùmque valentibus uti
Nolo cibis, molli stomacho ne fortè tumultum
Commoueas, largo neu plenae sanguine venae
Spirituum occludant aditus, & corpora turbent.
Illa etiam suaui quae sunt iucunda sapore
Saepe nocent, blandáque ipsam dulcedine fallunt
Naturam, grati quae tacta libidine succi
Quàm prius acceptam stomachus confecerit escam,
Arripit hanc auidè, & venas partitur in omnes.
Quid quod & in bilem facilè se dulcia vertunt;
Et varios generant vermes, nisi iustus eorum
Sit modus? at seruare modum mortalia nunquam
Ingenia, aut iustum quid sit perpendere norunt.
Cúmque ferè tales cupidissimus appetat infans
Ore dapes, tenerae his vltro corpuscula replent.
Illum ego mutati sub primula tempora victus
Laudo cibum ante omnes, lacti quem nóueris ipsi

Persimilem. neque enim subitò quæcunque nouantur
Vsque adeò sunt tuta, nisi his assuescere discas
Arte aliqua, & mediis paulatim extrema petantur.
Hinc vsum & liquidi commendant iuris, & ipso
Panem è iure probant, mollémque ante omnia pultem,
Sedula quam nutrix diluta lacte farina
Condit, & igne coquit, summóque subinde calentem
Attollit digito, & tepida flans temperat aura,
Vt patulo cupidi mox ingerat ore puelli.
Nec minus in tenues panem distringere micas
Sæpe solent, pinguíque aliquo seu iure placebit,
Seu lacte, aut oleo Græcæ nucis, aut butyro
Incoquere, & teneris epulandum inferre labellis:
Dum paruæ incipiant paulatim accedere vires,
Et solidæ carnis prosit vescentibus vsus.
Quam nitido minuens cultello in frusta secabis
Tenuia, gingiuæque operam præbebis inermi.
Nunc ergo è geminis deducto fonte corymbis,
Nunc quæsito aliunde cibo saturabis alumnum.
Cúmque tibi duplex pascendi copia largè
Suppetat, huic succurre lubens alimenta petenti,
Dummodo fallaci non decipiare querela:
Sæpè etenim non ipsa sitis, non ardor edendi,
Sed lacrymas crudis ægri mouere dolores.
Ah ne pascendi teneat te tanta cupido,
Intempestiuis oneres vt debile corpus
Importuna cibis, & quod rerum optima nutrix

Crescentis vitæ Natura parauit ad vsus,
Perniciem in summam, & vitæ discrimina vertas.
Hinc etenim ingrati vomitus, & cætera secum
Quæ grauis apportat satias incommoda surgunt.
Ergo vide quanto à pastu iam tempore distes,
Num tumeat duro distentus pondere venter,
Crudus an albiduli saccati appareat humor.
Quæ tibi si comperta, licet puerilis ad aures
Vsque sonet clamor, tamen hunc fuge pascere porrò,
Donec confectas penitus deprenderis escas.
Nec nulla interea est moderati gratia fletus.
Purgat enim in cerebro si quid graue, si quid aquosũ est:
Dúmque animam pulmo pueri distentus anhelat,
Pectora dilatat clamor, viuúmque calorem
Incendit stomacho, studiúmque irritat edendi.
Ne tamen & nimio tenerum conamine corpus
Rumpat, & affectus animi iam sentiat ægros,
Illum demulce oblectans, placidúmque soporem
Concilia motis ad blandula carmina cunis.
Tu verò grauis interea fuge damna veterni,
Tu fuge torporem, neque dulci fide veneno.
Scilicet hoc omni iam tum ratione cauendum est,
Paruula ne multo membra ex humore laborent.
Hinc vt manè nouo fugit sopor, humida laudant
Balnea, nec tantùm his abigunt à corpore sordes,
Imbecilla quibus temerè sese inquinat ætas,
Sed tenerum exercent corpus, dum creuerit infans,

Et sua iam pedibus certis vestigia figat.
Nec minus inde agita, sublatáque mollibus vlnis
Interdum exerce leni corpuscula motu,
Multa hilari simul ore iocans: neque clausa reconde
Vsque domi in latebris, sed apertas defer in auras,
Dum nullæ sudo nebulæ, dum purior æther,
Et nitidum lenes ludunt per inane Fauonij:
Vt cælo & varia gauisus imagine rerum
Assuescat luci puer, authorémque potentem,
Quà potis, admirans primis agnoscat ab annis.
Verum age, ne te vlla nõ doctam in parte relinquam,
Dicendum & noto lactantis ab vbere matris
Tempore quo potius diuellere fas sit alumnum.
Nulla quidem incertæ præscribi regula vitæ
Certa potest, ita sors mutabilis omnia versat,
Spésque hominum dubias, & inania pectora ludit.
Quod si sponte mea dij me componere curas
Fortè sinant, fœda neque victa libidine nutrix
Intempestiui turgescat pondere fœtus,
Funere nec propero, nec obortis languida morbis
Deficiat, sanè tenerum non ante puellum
Ablactem, gremio altricis non antè reuellam,
Quàm sua bis vertens vestigia fecerit annus.
Tunc etenim paulò iam firmior incipit ætas,
Tunc opus innatos nutrire valentiùs ignes,
Et potiore cibo lactis mutare liquorem.
Ah quantos animi, quantos & corporis æstus

Parue feres! quanto gemitu cælum omne replebis,
Flebilis, ereptos cùm suspirabis amores!
Non aliter vinclo sociata puella iugali,
Publica fortè virum si res in bella vocauit
Longinqua inuitum, & cupidis diuulsit ab vlnis,
Amissæ desiderio dulcedinis ægra,
Mœstóque absentis miserè deperdita luctu
Liquitur in lacrymas, & questibus omnia complet.
Disce pati, puer: æthereas hac lege sub auras
Nascitur infœlix hominum genus, vt mala semper
Dura ferat, tristésque in luctibus exigat annos.
Atque hoc (si memor es) iam tum te fata monebant,
Cùm fessam exonerans decimo sub mense parentem
Signasti querulis primos vagitibus ortus.
Ergo modum vt possint venturo afferre dolori,
Se remouent oculis ac rarius vbera promunt,
Atque sui altrices paulatim obliuia præbent.
Sæpe etiam ingrato contingunt felle papillas,
Tristis vt à suctu sitientem auertat amaror,
Iámque alios adhibent potus, & lacte remoto
Prospiciunt aliunde, suus ne deserat humor
Corpora. nec verò me iudice mollibus annis
Conuenit igniti penetrabile nectar Iacchi.
Sed puræ potius lymphæ liquor, vnde receptæ
Mollescant epulæ stomacho, seséque resoluant,
In graciléisque fluant nullo discrimine venas.
Nec mora iam vegetum cernes adolescere corpus,


Iam signabit humum pedibus, iam reddere voces,
Teque duce incipiet tum res, tum nomina rerum
Discere, & ipse suas depromere pectore curas.
At quoniam ex affectu animi mortalia pendent
Corpora, te si tangit honos crescentis alumni,
Diuinum imprimis animum rege, nec sine porrò
Delabi in vitium, verget quo debilis ætas.
Quin magis ipso vsu Naturæ vt semina vincas,
Lentum vrge, tristem exhilara, moderare calentem,
Blandiciis non vi, ne dum contraria vertis
In studia inuitum, simul ægra in tædia pellas.
Atque equidem egregiis ni Mars ferus obstrepat orsis,
Et vetet incœptos longè producere cantus,
Non erat hîc vati ratio solius habenda
Corporis, at rectos etiam componere mores,
Et meliorem hominis partem curare decebat.
Hoc meus hortatu iamdudum exposcit amico
Ille sui flos æui heroum è semine cretus
Scaliger, vnanimi mecum quem fœdere iunxit
Ipsa olim virtus teneris vtrique sub annis
Culta diu, & nulla gaudentes fraude Camœnæ.
Scilicet & tempus veniet cùm talia dicam,
Si modò grata meis aliquis Deus ocia rebus
Afferet, & faciles venient ad vota sorores,
Quæ me Pierio infantem lauere liquore,
Necdum adeò tentatam vlli fœcunda tot inter
Ingenia, & summos aluit quos Gallia vates.

Promisere mihi integra de fronde coronam.
Vix tamen interea quicquam sum grandius ausus.
Ecquis enim esse suæ potuisset sponte iniquo
Tempore ciuilis grauia inter tædia belli?
Quippe simul solio infelix successit auito
Carolus, & fletu præsago regia tinxit
Sceptra puer regni auspiciis lugubribus vsus,
Ilicet infernis tristissima venit ab antris
Tisiphone, & cæco turbauit cuncta tumultu.
Cuius pars nonnulla fui, sic dura ferebat
Tempestas, rerúmque vices, Phœbique remissus
Ardor, & in pretio quæ nunc erat altera laurus.
O quantum ætatis damna inter talia, quantum
Ingenij nobis periit! dum incerta sequentes
Irrita nunc palpant fugitiuæ fœdera pacis,
Nunc infesta premunt rediuiui tempora belli!
Sic hieme in media, dubij si languida Solis
Lumina fortè micant, minimo vix tempore durat
Fulgor, & incerto redeunt sua nubila cælo.
Quid quod & illum, animæ pars qui dulcissima nostra
Nuper erat, quem ipsis oculis, ipsóque ferebam
Pectore, qui me oculis vnum qui mente ferebat,
Flore æui in medio (proh Iuppiter!) impia bella
Damonem rapuere? meas, carissime Damon,
Tecum delicias, mea tecum tota tulisti
Gaudia, nec nostrum sine te iam viuere vita est.
Aspicis vt desiderio turbatus inani

Languida membra traham, festinatósque molestæ
Ante diem incipiant canos accersere curæ?
Illa etiam quam tu quondam laudare solebas
Muta silet chelys, aut querulis si fortè quid audet
Carminibus, solùm tua tristia fata retractat
Illacrymans, neque sanguinei discordia Martis
Prælia sic illam, tua quantùm funera turbant.
Qualis vbi amissos caræ telluris honores
Imbribus hibernis defleuit nubilus æther,
Si quis in aprico seruetur flosculus horto,
Qui nondum infestas hiemes & frigora sensit,
Illum omnes fixis vnum admirantur ocellis
Lucentem, exactique subit noua veris imago:
Sic inter fœda impuri contagia secli
Castum illibatæ seruans probitatis amorem,
Antiquum niueis renouabas moribus æuum.
Cúmque tibi summos apud esset maxima reges
Gratia, tu carum interea fidúmque sodalem
Ornabas bonus, & fortunæ in parte locabas.
Auspice te à rebus quæ mens aliena gerendis
Aonia longùm desederat abdita silua,
Vtilis ipsa suo gaudet nunc munere fungi.
Hinc adeò me nec natalis linquere terræ
Dulce solum, & tenues mecum aduectare penates
Pictauium, huc quando me publica cura vocabat,
Nec stabilem electo piguit lare figere sedem.
Parce tamen desiderio suauissima parce

Iuliadum tellus (patrius nam te quoque nostri
Tangit amor) saxo nobis te prima dedisse
Nunquam ut pœniteat iucundæ exordia lucis.
Te licet insigni popularis honore Macrinus
Ornarit pridem Æolia notissimus ille
Arte senex, Latiæ qui per vestigia gentis
Primus yt, lyricique fuit laus altera plectri:
Non tamen è nostro nullum tibi carmine nomen
Spero fore auspicibus superis: mea stamina tantùm
Lanificæ ante diem parcant abrumpere Parcæ.
Iámque (sed haud illi sum credulus) inclyta vatem
Gallia me dicit, patrio seu ludere tractu,
Siue per Ausoniæ campos libet ire Camœnæ.
Tu modò (nam famæ ius te penes omne perennis)
Grata faue mihi Posteritas, quémque auspice Phœbo
Non sine felici tibi mandant omine Musæ,
Accipe mansurum ventura in secula vatem.

FINIS LIBRI II





SCÆVOLÆ SAMMARTHANI PÆDOTROPHIÆ
LIBER TERTIVS.



INC ego quæ dubiæ iam primo à limine vitæ
Debilia infātum subeāt corpuscula pestes
(Quandoquidem hæc nostræ superat pars vltima curæ)
Expediam, & teneris quæ sit medicina docebo.
Pauca tamen sequar. ignotum ne fortè per æquor
Longius errantem externo sub sidere nautam
Insani abripiant Euri, pellántque latenteis
Incertum in scopulos & vasto gurgite mergant.
Tu mihi seu Deli materna cacumina seruas,
Siue iterum humanæ correptus imagine formæ
Demulces querula Peneïa litora canna,
Huc pater ô Thymbræe (tuas hîc pandimus artes,
Ipsa parens medicas tibi Tellus educat herbas,
Te tristes fugiunt morbi, tibi semper adhæret
Fida Valetudo comes, & iucunda Voluptas)
Huc ades, ignarúmque viæ ne desere vatem

O pater, audentémque animis atque alta petentem
Dirige, neu pigeat toties in vota vocari.
Ecce mihi assurgunt paßim applaudúntque canenti
Matres atque viri, quorum pia pectora tangit
Prolis amor, quernáque intexunt fronde coronam
Seruanti ciues, & funera acerba moranti.
Ne desint patriæ exhaustæ qui publica damna
Informésque olim poßint sarcire ruinas,
Impia quas rabies & ciuicus edidit ensis:
Dum fas atque nefas vertere insana potentum
Dißidia, & cæcos populo iniecere furores.
Quorum si nullus modus est, nostrúmque cruorem
Mars auidè sitit, & Gallorum euertere gentem
Immeritam parat, ac ciuili excindere ferro,
Quid tandem iuuet has pueris impendere curas,
Et velut ad cædem innocuas seruare bidentes?
Scilicet vt matura viros vbi fecerit ætas,
Mutua in arma ruant morituri & sanguine fuso
Sufficiant belli furiis & pabula præstent!
At certè meliora manent nos fata, neque augur
Fallor ego, & lætum video mox affore tempus,
Cum feßis redeat pax optatißima Gallis,
Aureáque exurgant HENRICO *Principe secla:*
Quem cælo nobis iuuenem pater ipse Deorum
Misit, vt afflictis veniat succurrere rebus.
Nos igitur magnis quo iam proceßimus ausis
Incæptum pergamus iter, gratúmque laborem.

Hei mihi quàm variæ circunstant me vndique pestes!
Non secus ac vastis Libyæ torrentis in oris,
Bagrada quà steriles findit sinuosus arenas,
Olim vt fortè viam deserto in litore carpsit
Venator Numida, aut saltus se immisit in altos,
Mille illi ocurrunt facies & mille ferarum
Agmina, nunc toruis oculis leo, nunc fera tigris
Emicat, hinc pardus celer, hinc ardentia pictus
Terga draco, & multus non vno è semine serpens.
Ille animi dubius partes se vertit in omnes,
Nec bene scit tanto è numero, quod denique primum
Aut petat, aut caueat monstrum: perterritus hæret.
Sic mihi morborum subeunt examina mille,
Nec quæ prima meis, quæ debeat vltima telis
Præda peti certum est: dubio mens fluctuat æstu.
Atque equidem sine lege vt apes quæ proxima libant
Rura vagæ, mihi sic morborum vt quisque canenti
Se fortè obtulerit (quid enim est incertius illis?)
Hunc referam, nullúsque mihi seruabitur ordo.
Iámque adeò ne te per longa exorsa moremur,
Sæpe recèns natis media qui abscinditur aluo
Omphalus, acceptæ iucunda exordia lucis
Turbat, & haud vnum accersit per membra dolorem.
Siue recens vulnus, seu non seruata ligandi
Vulneris apta satis ratio pressum arctius vrit:
Seu queruli fletus, aut tußis anhela fatigat,
Infirmúmque agitat crebro luctamine corpus.

Vnde fit humorum partem concursus ad illam,
Quæ dolet, atque ipsum testata rubore dolorem
Tota tumet, rapidóque ardens incenditur æstu.
Quandoquidem duce natura velut agmine facto
Spiritus huc sanguisque ruunt, affectáque membra
Pro se quisque iuuare malúmque euincere certant.
Copia tum verò ipsa nocet, dum vulnera circùm
Feruet, & insanos monet importuna tumultus.
Sæpe etiam, clauso quoniam dum ventre lateret
Captiuus puer hac humorem parte solebat
Reddere, in id porrò insistit Naturáque moris
Nondum oblita sui quo cœpit tramite pergit.
Hinc autem tumido inflatu distenditur æger
Omphalus, & vitrea turget pellucidus vnda.
Quid quod & hunc aliquis læsit si fortè tenellum
Casus, vt humanis incommoda plurima rebus
Eueniunt, tota plerunque is prominet aluo
Prociduus, tenerúmque infesto pondere corpus
Affligit miserè, & tanquam grauis hernia vexat?
Has ergo vt valeant ægris auertere curas,
Florentem medici Nardum, cui Celtica nomen,
Tundere præcipiunt, & facto puluere miscent
Resinæ Terebinthe tuæ, intritásque liquenti
Grecæ oleo nucis excipiunt, cui dulcis in ore
Sit sapor, & leni demulcent vnguine vulnus.
Inde etiam tenues flammis graueolentibus vrunt
Panniculos, cinerémque legunt, & amara lupini

Semina, quæ vt rubro diluta fuere Lyæo,
His bibulas saturant stupas, adhibéntque dolenti.
Nec minus & linguæ imprimis tibi sedula habenda
Est ratio, quando haud aliud præstantius vllum
Concessere hominum generi pia numina munus.
Adde quod in magno hæc pueris lactentibus vsu
Esse solet, niueos dum sugit ab vbere rores.
Quam si qua impediunt, curuóque volumine torquent
Implicitám, & rigido cohibent retinacula nexu,
Non satis officio est, frustráque tumentia captat
Vbera, nec presens potis hinc educere nectar.
Vnde siti perit in mediis, ceu Tantalus, vndis
Infelix puer, & ieiuno corpore languet.
Has ergo, si quæ fuerint, abscindere tricas
Expedit, & curtos quamprimùm exsoluere nodos,
Siue tibi hoc habili chirurgus forcipe præstet
Molliter excidens siue obstetricis acuto
Vngue manus, modò quisquis erit qui talia curet
Vicinas linguæ caueat contingere venas.
Illa etiam haud temerè fecit cui Ranula nomen
Barbarus (instar enim ranæ est si excernis artus)
Pernicies longè teterrima, quando sub ipsa
Exoritur lingua, calidóque exæstuat ardens
Igne tumor, nimia mortem qui mole minatur
Interdum paruóque animam præcludit alumno.
Cui simile id morbi est, cùm sæua ardentia flammis
Gingiua sæpe in molli tubercula crescunt,

Perque genas collúmque, & tota subinde per ora
Purpureum latè spargunt incensa ruborem,
Et faciunt febres, & membra doloribus angunt.
Nec multùm his adeò differre videtur & illa,
Quæ pueri fauces grauis inflammatio vexat
Nonnunquam, paribúsque solet se prodere signis,
Quà teneræ linguæ penitis radicibus hærent
Exiguæ glandes: veteres dixere Latini
Tonsillas, & ab his sua morbus nomina sumpsit.
Quæ mala corrupto cum fermè à sanguine manent,
Ipse autem impuri damnoso lactis ab haustu
Accipiat sanguis vitium, quod acuta redundet
Bilis, & inde acri scateant salsugine venæ.
Hæ tibi præcipuè partes, tibi sedula nutrix
Hoc incumbet onus, proprio de fonte venena
Exigere, & praui noxam depellere lactis.
Quare age, quæ pueri teneros depascitur artus,
Visceribus finge ipsa tuis hanc gliscere febrem,
Nec pigeat tanquam ægrotum curare libenter
Corpus, & hinc dulcem puppo instillare salutem.
Ille autem rapidæ dum sæua incendia febris
Mitescant, bibat Idaliis frangrantia filiis
Citria quem mittunt aut Punica mala liquorem:
Si prius Eoæ succis medicabere cannæ
Incoctum, & pura miscebis largiùs vnda.
Tum blando violarum oleo, quod ab igne tepescat,
Collum ipsum læuésque genas, & mollia iunge

Tempora, & exiguas infunde dolentis in aures
Eiusdem pauxillum olei, qua parte laborat
Præcipuè, ardentémque ægro iacit ore ruborem.
Nec minus interea reddunt quam trita farinam
Hordea, præcipiam candentis flumine lactis
Incoquere, & totum emplastris obuoluere mentum.
Fors etiam grauiora dabunt hæ tædia curæ
Cùm suppuratis abscessibus atria fient
Vlcera, quæ toto serpent infesta palato,
Depascéntque ipsas rabida prurigine fauces,
Tu nisi letiferi properas extinguere morbi
Semina, gliscentémque alte compescere labem.
Quanquam alia esse potest huius quoque pestis origo
Lac ipsum, ex aliqua quod contigit esse serosum
Parte sui, & crebro gingiuam erodere fluxu,
Aut vitium capere in stomacho, se plurimus vnde
Attollit vapor, & puerilia fumidus vrit
Oscula. Nec modus est vnus ratióque medendi:
Multa adeò humanæ reperit solertia mentis.
Nulla tamen potior moderata cura diæta est.
Hac tu corrige lac vitiosum, nec minus inde
Vel violis melle intritis, vel Orontide Myrrha,
Et Galla tenui, & Nabathæi cortice thuris
Vince vlcus dirum, & serpentia siste venena.
Atque hæc precipuè pueros discrimina tangunt
Omnia, quo teneris erumpunt tempore dentes,
Dum sibi vi dens ipse viam molitur, & acri

Humore,

Humore, vt terebra, gingiuis mollibus instat
Improbus, & punctu assiduo retinacula frangit,
Sæuósque interea toto mouet ore dolores.
Quæ tamen immitis tanta inclementia cæli est?
Siccine quod vitam foueant, stomachóque ministrent
Confectas epulas alimentáque mollia dentes,
Inde fit hos tanti vt cælestia numina vendant?
Ille quidem fluido querulus puer admouet ori
Exiles digitos, & quà pote se iuuat ipsum.
Tu tamen hunc melior nisi iuueris ipsa laborem;
Nullus erit. sed enim digitos prius illine molli
Vel cerebro leporis, Siculæ vel roribus Hyblæ.
Tum leni humorem affrictu sensim elice, donec
Præuius exierit, factóque foramine demum
Dens nouus emergat, pérque ora rubentia candens
Emicet, vt rubris inclusum fortè corallis
Candet ebur, facili arte manus quod Dædala rasit:
Quòd si incrudescat porrò dolor, ablue summum
Rore caput tepido aspergens, liquidísque rosarum
Imbribus, ac niuea totum super intege lana.
Et tamen ipsa suo nisi munere fungitur aluus
Nil agis, insano dabit incrementa dolori.
Dura igitur quoties fuerit, soluenda liquentis
Mellis ope. hoc adeò multos conducit ad vsus
Egregium inuentum, quod amico ex æthere fluxit:
Siue id ieiuno libauerit ore puellus,
Seu balani in formam postico exceperit ano.

Vel si diuini defecit copia roris,
Ipsa manu læui nutrix fidissima caulem,
Betámue, aut viridis radicem ingeßit hibisci.
Quod tamen huic morbo proprium est, si fusior aluus
Profluat, & gracili decedant corpore vires,
Quo magis hanc firmes adhibenda papaueris albi
Semina, nec desint metuentis frigora myrti
Accepta Veneri baccæ, bicolórque cyperus.
Quæ simul intrita, & lactis diluta liquore
Parua salutifero recreabunt corpora potu.
Sin dira excruciant ipsum quoque tormina ventrem,
Et velut infesto vellunt præcordia morsu,
Iuuerit imprimis calida qui fouerit vnda,
Quique oleo anthemidis simul aut fragrantis anethi
Vnxerit, aut veteri quod ab igne calescat oliuo.
Nam cutis hinc raræ per aperta foramina transit
Paulatim insinuans calor, & collecta sub ipsis
Frigora visceribus pellit, ventósque latenteis
Dißipat, & morbi caußas & crimina tollit.
Quid tibi nunc simili notos discrimine vermes
Persequar, inuisos vermes genus acre veneni
Imbecilla feris qui morsibus ilia pungunt?
Namque mala ingluuie lactis cum largiùs hausti
Putrescunt latices, crudámque quod exit in aluum
Visceribus mucosum hæret, pellique recusat:
Tunc prudens Natura suas se vertit ad artes,
Quódque abigi non posse videt, absumere porrò

Id satagit, variósque ideò de sordibus istis
Lumbricos creat, interno qui viscere serpunt,
Materiámque, vnde est illis genitalis origo,
Depopulant ipsi, & cognata alimenta capessunt.
Ceu quibus est ortus foliis depascitur illa
Vere nouo celer & variis spectabilis alis
Papilio, damnúmque data pro luce rependit.
Verùm vbi pestis edax iam parte vorauit ab omni
Quicquid erat, si fortè dapes & pabula desint,
Huc illuc se agit impatiens, vacuísque latebris
Errat, & infesto morsu in præcordia sæuit.
Signa patent manifesta mali. nam fœtor in ore est
Plurimus, interdúmque animi vis ægra fatiscit.
Dormitat puer, & tremulis conniuet ocellis,
Nec faciles carpit somnos, temeréque sopore
In medio tremit exiliens, quatit arida tussis
Pulmonem, & nares prurigo molesta fatigat.
Quare age dede neci, aut quauis ratione latentem
Pelle foras hostem: fugiet modò si quid amari
Porrigis, imprimísque illud quod nomine vermes
Signauere suo semen, seu mitia poma,
Seu pultem, aut alias hoc puluere sparseris escas.
Felle etiam tauri pallens coniunge cuminum,
Et leni summum emplastro super intege ventrem:
Pernicies hinc certa feræ: nam cætera mitto
Plurima quæ prisci variè sanxere medentes.
Ecquid enim numeris includere singula coner,

Materia cùm multiplici mihi carminis ordo
Crescat, & exacto subeat labor vsque labori?
Non mihi si centum dederint in carmina linguas,
Centum ora Aonides, mala dicere singula possim,
Quæcunque humanam vexant infesta quietem
Certatim, insidiásque parant, letúmque minantur.
Hinc tristes vomitus, hinc exilit aspera tussis,
Hinc paruas animas quæ nigra insomnia terrent,
Hinc vigil irrequies placidos quæ carpere somnos
Non sinit, illa quidem ex vno manantia fonte
Omnia, cùm nimio se lacte ingurgitat infans,
Nec pote in exiguo stomacho vis tanta teneri,
Aut certè negat illa coqui crudúmque fatigat,
Plurimus vnde vapor leuibus sursum euolat vmbris
Turbidus, & vana deludit imagine mentem.
Qui, quoniam molli vis est innata cerebro
Frigida, densatur liquidúmque coactus in imbrem
(Non secus ac pluuio concreta ex aëre nubes)
Labitur, & fluida teneras vligine fauces
Radit, & irritat quatientem pectora tussim.
Hanc ergo reprime ingluuiem, sedabitur omnis
Actutum dolor, & morbi mala semina cedent.
Quid loquar & mollis plerunque vt procidat anus
Proluuie ventris nimia, cum proximus illi
Musculus humescit iam laxior, & sua porrò
Munia obire negat, sursumque leuare cadentem?
Tu modò quæ possint adstringere plurima misce,

Decoctísque foue: sed & hunc ante omnia læui
Pelle reluctantem licet, egressumque minantem
Pelle manu insinuans, atque in sua claustra reconde.
Nec referam fœdos qui tempore lactis achores
Per teneri caput erumpunt, faciemque puelli
Et sanie tabóque fluunt, squalentiáque ora
Pinguibus obducunt crustis, locáque omnia complent.
Quippe & sponte sua cedunt vltróque facessunt:
Et si non cedant, aliquis tamen vsus in illis,
Cùm cerebri educant sordes & corpora purgent.
Verùm illas dicam papulas, quæ corpore toto
Rumpentes rapidæ faciunt incendia febris
Interea, niueósque artus infantis & ora
Deturpant, & longa sui vestigia linquunt:
Siue cute emineant summa, morbique per omnem
Decursum ardentes rutilo velut igne coruscent:
Seu gelidi humoris lento torpore grauatæ
Subsidant, primo quæque antè rubebat in ortu
Pustula, paulatim albescat, latéque vagata
Desinat in densas maturo tempore crustas.
Nam geminæ morbi (quanquam discrimine paruo)
Sunt species, vno quas Exanthemata dixit
Nomine Pæonys fœcunda nepotibus Hellas.
Caussa mali impuro feruentes sanguine venæ,
Menstrua quem materna, puer dum ventre lateret,
Infecere, luísque bibens hinc semina traxit
Paruulus, aut has proluuies in carcere fœdo

Accepit bibulis membris, seruátque veneni
Relliquias, Natura suo quas tempore pellit.
Ac veluti totis olim fumantia cellis
Feruescunt noua vina, cadísque erumpere certant,
Dum quas contraxit spumans vindemia sordes
Eructet, puríque fluant è vase liquores:
Non aliter nouus ingenti luctamine sanguis
AEstuat, immundum humorem dum eiectet in auras,
Et penitus toto purum se corpore fundat.
Nec desunt alias alij qui quærere caussas
Malint: quicquid erit, certè grauis imminet inde
Pernicies puero, neque pestis acerbior vlla est.
Heu quoties fletu arguto nutricis amicam
Poscet opem! non lactis amor, non cura epulandæ
Pultis erit, nulli venient in membra sopores.
Ipsa diu ad cunas miserè deiecta iacebis.
Roranteis oculos, & tundes pectora planctu.
Perfusósque rosis illos, adeóque niteriteis,
Tu quibus antè auidis figebas oscula labris
Obscœnos fluido miraberis vlcere vultus,
Nec dicenda loquere. Sed hoc non questibus istis
Tempus eget, quærenda via est qua tristia cedant
Vulnera letiferique mali contagia sistas.
Continuò incensos auertere profuit æstus
Porrectis gelidæ riuis, quæ frigeret intus
Viscera, sed primo vix id contingat ab haustu.
Ergo redintegrant lymphas, vomitúque frequenti

Efficiunt, ne fortè nouo non usque liquori
Sit locus, & potu repetito incendia sedant.
Additur & victus ratio: nam dulcia vitant,
Fructúsque immodico quicunque humore putrescunt,
Tum Syrio rore, aut casia medicata propinant
Pocula, quæ inualidi nutrix vice sumat alumni.
Si tamen haud ideo tetri vis improba morbi
Cessat, & ardentem nequicquam extinguere febrem
Niteris, indomitóque luis pugnare furori:
Cede malo, plerumque, semel quod ferre necesse est,
Ferre iube: tantùm hoc moneo ne publicus error
Te teneat, qui non fallit muliebria tantùm
Pectora, verùm ipsos etiam plerumque medentes,
Omnia dum faciunt ut quantuncunque veneni
Intus inest penitus se in apertas proferat auras.
Quippe adeò plena ingentis res illa pericli,
Erumpat ne vi nimia, nec in extera tantùm
Sæuiat effusæ largißima copia pestis:
Verum ipsas etiam numeroso vulnere fauces
Occupet, obsessæque animæ spiracula claudat.
Ille mihi (ah! memini) nuper malus error acerbo
Funere quadrimum Carolum, trimámque Dianam
Abstulit, & gemino spoliauit honore penates.
Dij, si qua est pietas & vatum cura sacrorum,
Cætera vos seruate tori suauißima nostri
Pignora, & inuisam teneris auertite labem.
Quæ si quando tamen caros inuaserit artus

(Hoc ætas ferat, & non subsit caussa timendi
Ne loca iam erumpens reuocetur ad intima virus)
Ausim equidem ægroti salientem incidere venam,
Humorisque aliò nonnullam auertere partem.
Ne tamen interea restat quod sanguine in ipso
Corrupti non eijciat Natura, iuuanda est
Auxilijs, terra alma sinu quæ diuite promet
Plurima, téque adeò ante omnes quæ nomen ab vlmo
Herba capis, veterum priscis ignota parentum
Temporibus, nostri decus & noua gloria secli.
Insita quippe tuo vis admiranda liquori
Sudorem elicere immundum, fœdámque soluto
Corpore contagem aërias educere in auras.
Dum porrò incipient heic passim emergere & illic
Florentes papulæ, vigili tunc mente cauendum est
Ne fortè aut oculos narésue, aut tenuia puppi
Guttura, pulmonésue, aut intima viscera tangant.
Has etenim in parteis etiam teterrima sæuit
Pernicies, damnúmque ægris letúmque minatur.
Turgidulos ideo conspergunt luminis orbes
Siue rosæ, niuei seu puro flumine lactis,
Quod leuiter presso iaculatur ab vbere nutrix,
Corycióue croco vultus & lumina tingunt.
Sed neque tutandis oculis non vtilis humor
Punicus, illæsum qui seruat & ipse palatum,
Ore puer molli si grana rubentia carpat,
Mansorúmque auido detergat guttura succo.

At nares fouet acris odor porrectus aceti,
Pulmonémque iuuant qui Barbaricæ Tragachantæ
Somniferum miscent tenui cum lente papauer,
Et recreant fessos confecto eclegmate folles.
Nec minus ipsius decoctæ vligine lentis
Læuia ab inuiso defenderis ilia morbo.

Qui postquam exeruit sese, multáque repleuit
Labe cutem, & turpes papulis graue-olentibus artus,
Carpe manu actutum violas, quibus adde virentem
Anthemidem, & faciles maluas & furfura misce:
Omnia quæ postquam tepidis incoxeris vndis,
Turpia membra foue, & totum superablue corpus.

Iamque ô parce puer lacrymis, parce optima mater,
Tempus adest, mora nulla, mali cùm victa facessat
Effera vis tandem, & decedat corpore languor.
Aspicis vt matura suo se tempore prodant
Vlcera paulatim eiecto manantia tabo?
Si qua tamen rumpi dura cute fortè recusent,
Aureola fodiamus acu, saniémque latentem
Ducamus, dum tota fluat, dum nullus abundet
Humor, & horridulis arescant vulnera crustis.

Quas vbi purpureáque rosa myrtóque virenti
Foueris, atque oleo cerusæ illeueris omnes,
Ilicet has toto de corpore sentiet infans
Effluere, & toto sparsas horrescere lecto.
Sic vbi iam reducis brumæ nouus horror adußit
Humoris vacuas frondes, arentia paßim

Labuntur folia arboribus, nudásque relinquunt.
Postremò (nec enim labor aspernandus & ille est)
Plurima deformi ne restet in ore cicatrix,
Tu quem turgidulo in vitro si coxeris olim
Lilia, florentésue fabæ, cannæúe palustris,
Aut salicis lentæ serpentes humida circum
Litora radices extillauere liquorem
Quære tibi: sed & illum adhibent, quem assata capellæ,
Lanigeræ aut pecudis sudauerit vngula rorem.
Nec minor & timidi leporis taurique cruori
Indita vis (dum feruet adhuc à cæde recenti)
Horridulam læuare cutim : tu quolibet horum
Vtere, non opis hîc tibi suppetit vnius vsus,
Non hac multa tibi desunt in parte reperta.
Tantus amor, tanta est seruandi cura decoris!
Et meritò : quis enim duris nisi cautibus ortus
Diuina eximiæ non laudet munera formæ?
Sed iam acti cursus meta exoptata propinquat:
Nunc ego te immanis gelidæque simillima morti
Exequar, & summo percurram carmine, labes,
Conuentus populi Romæ cui nomina fecit,
Dixere à pueris Graij, quod cuilibet æuo
Cùm noceas, tamen humidulos tua damna puellos
Præcipuè exercent incœptæ à limine vitæ.
Tu penitus toto distentis corpore neruis
Affligis subita labentia membra ruina,
Mentémque interea & sensus intercipis omneis.

Ille diu iacet exanimis, altóque sepultum
Esse putes somno, nisi quod fœdúmque fluentes
Ore vomit spumas, inclusaque murmura reddit
Stridulus, & tremulo iactantur brachia motu.
Sed neque perpetua est subiti violentia casus,
Itque reditque viam, & post cæca obliuia rerum
Nube dies pulsa redit, & sibi redditur æger.
Vnde adeò morbi mirum genus? ánne quod vdum
Si quando cerebrum pituitæ viscidus humor
Largius infarcit solito, iam non patet vlla
Spiritibus via, qui magno molimine nixi
Contendunt, claustrisque leues euadere certant?
Ipsaque neruorum, vt sibi quæ sunt noxia pellat,
Concussu ingenti simul obluctatur origo?
An potius gelidi quædam latet aura veneni,
Quæ sese intus agens tacitisque meatibus errans
Progreditur furtim & summam peruadit ad arcem,
Vt cerebro paret insidias, quod vtique repellit
Inuisam, & sese infando defendit ab ictu?
Hinc & quo tenui mage subtilique cerebro
Quisque viget, magis infestæ penetrabilis auræ est,
Præstantésque viros hæc sæpe ruina profudit.
Quid memorem dio Veneris de sanguine natum
Romulidem, imperij primus qui flexit habenas?
Quid qui hominum mentes mentito numine lusit
Vanus Arabs, latéque Asiam Libyámque per omnem
Regnat adhuc media mundi plus parte potitus?

Ipse etiam nostras olim dum carperet auras
Quàm prius Oetæis corpus mortale piasset
Ignibus & patrio Deus accessisset olympo
Ingentis columen cæli, domitórque ferarum
Alcides cura fuit haud immunis ab ista.
Fortè Cleonæo quondam è certamine victor
Dum redit, atque feræ exuuias indutus oberrat,
Et quà altæ Nemees forti vicina Phliunti
Late silua viret, & qua via nota Corynthum
Ducit, vbi gemino breuis æquore stringitur Isthmos,
Illum adeò improuisa lues nil tale timentem
Fudit humi. herois gemuit sub pondere tellus,
Vicinúmque nemus, vicináque litoris ora
Accepit sonitum, & vocis respondit imago.
Ceu quondam silua in media, cùm nauis in vsum,
Siue iugis, magna Ida, tuis, seu Pelio in alto
Sternitur ærata pinus labefacta bipenni,
Dat sonitum latè ingentem, saltusque remugit
Frondens, & rupes, & in altis rupibus antra
Cæca sonant, resonátque cauis è vallibus Echo.
Quem pulchra vt viridi collis de vertice vidit,
Forte manu plena medicas dum colligit herbas
Pæonis, intonsi virgo de semine Solis
Educta indigenas inter celeberrima Nymphas:
Hunc miserans (agnouit enim certißima tanti
Signa mali) augustámque viri mirata figuram,
Aduolat actutum, siqua succurrere lapso

Sit potis, & membris inimicum auertere virus.
Nam pater ipse suas arteis & munera Pæon
Edocuit, Pœbo Pæon genitore creatus
Doctrina ante alios medicus præstantior omnes.
Primùm igitur spumis fluitantia turpibus ora
Tergere linteolo molli, caput inde iacentis
Tollere, & inserto dentes diducere ligno.
Mox & colla manusque ambas, & denique diri
Contraxit quascunque mali vis improba partes,
Grææ oleo nucis, in sacra quod fortè gerebat
Pyxide, collinere & leni componere frictu.
Tum virides rutas, aut si quid olentius illis,
Offerre ad patulas nares, dum noxius acri
Pulsus odore vapor tenues exiret in auras,
Desereretque artus & sensus redderet ægro.
Qui postquam pariter Nympham cum luce medentem
Conspexit, pulsa horrendæ caligine labis,
Attonitus, longo pòst tempore talia fatur:
O quis te superûm nobis pulcherrima virgo
Misit, vt infandum eriperes miserata dolorem?
Dÿ te, quæcunque es, tali pro munere seruent.
Ipse ego si verus vitæ mihi Iuppiter author,
Méque suos inter cæli quoque regia ciues
Expectat, nec vana animum præsagia fallunt,
Tempus erit tibi digna memor cùm præmia reddam.
Interea ne me miserum tam fœda ruina
Percellat toties, & cœpta ingentia turbet,

Quis modus, aut quæ ſit ſeruandæ cura ſalutis
Dic precor, & ſæue me (nam potes) exime peſti.
Sic tua, quod meruit, longinquas fama per oras
Exeat, & ſera æternum per ſecula creſcat.
O mihi quodcunque hoc æui traducere tecum
Si liceat, firmo inter nos & fœdere iungi,
Nulla equidem triſtis formidem incommoda caſus.
Verùm aliò nunc fata vocant, odiúmque nouercæ
Vrget, & iniuſtos me cogit adire labores.
Sic ait, & placita vultus in virgine figit.
Excipit hæc, Equidem Alcide (nam te tua nobis
Dicta ſatis produnt, & fortis robora clauæ
Iamdudum, & cæſi exuuias agnoſco leonis)
Percipio fructum ingentem, nec pœnitet huius
Me ſtudij, ſi quid (quod Dijque Deæque ſecundent)
Tantum Heroa iuuo, & vitæ in diſcrimine ſeruo,
Quare age, & hæc nuper quæ me pater ipſe docebat
Phœbeus Pæon, quo non præſtantior alter
Vincere pallentes morbos, & fata morari,
Accipe, conſtantique memor ſub pectore ſerua.
Principio, id morbi generet cùm plurimus hūmor,
Profuerint quæcunque calent, areſcat vt inde
Cauſſa mali, & ſicco penitus de corpore cedat.
Ergo te ratio fugiat ne congrua victus,
Vt quodque eſt vdum magis aduerſúmque calori,
Hoc fugito: ſed nec ſuauis te oblectet Iacchi
Copia, non largos impunè iteraueris hauſtus.


Nec tremulis porrò labentia flumina lymphis,
Aut si quid rapida vertigine fertur in orbem
Te spectare velim temerè, nudáue soporem
Carpere humo, aut crassi nebulis assuescere cæli.
Nec minus interea grauium fuge quicquid odorum
Naribus ingratum est, & ab omni tristia mente
Tædia, & immundas expelle à corpore sordes.
Neu tibi opis medicæ labor atque industria desit,
Vidistine vnquam gelidæ quod sidere brumæ
Fronde noua solet in siluis pubescere viscum?
Hoc lege quod veteris circundet brachia quercus.
Nulla medela tibi potior, seu dulcia iungis
Cinnama, diluto & vini latice excipis albi
Confundens, plenóque nouum bibis ore liquorem.
Seu combustam hominis caluam, ramosaque cerui
Cornua comminuis, & facto puluere misces
Adiungéns Arabum suaues ante omnia succos,
Scilicet vt nullus comedentem auertat amaror.
Tantùm hæc manè, prius quàm epulas & pocula carpas
Alternis iubeo te sumere, menstrua donec
Luna suum cursu exacto compleuerit orbem.
Nulla mora, inuisi vanescent semina morbi,
Et tecum alma Salus terras comes ibit in omnes.
Tu modò, grata hominum si quid benefactà merentur,
Viue memor nostri. nec plura effata recessit.
Ille oculis sequitur fugientem, & corda recenti
Saucius aspectu tantæ meritisque puellæ.


Paulatim ardeſcit, pulſóque priore veneno
Longè aliud ſentit tacito ſub pectore vulnus.
O quoties flagrantem animum væſana libido
Inceſsit temerè quaſcúnque eat illa per oras
Velle ſequi! ſed enim qui monſtra domare ſolebat
Cætera, in id tempus domuit quoque victor Amorem.
Felix, ô nimium felix, ſi nullius vnquam
Forma Ioles cæcis mutaſſet pectora flammis!
Non tamen affectu ille pio curæue pepercit:
Verùm vbi poſt longo iam tempore ſumma relatus
Aſtra ſuper diuûm in numerum, ſuprema puellæ
Tempora vidit adeſſe (vident quippe omnia diui)
Antiquos animo reuocauit gratus amores;
Dilectóſque ſibi putreſcere noluit artus
Humanum in morem, at meliori ſorte beauit.
Nec mora, quæ fuerat formoſo fœmina vultu;
Herba fuit, forma reliquas quæ vinceret herbas,
Pæoniam dixere, nec vlla ſalubrior vſquam eſt.
Nam memor officij Deus, acceptæque ſalutis,
Indidit has vires, vt quam ſanauerat herbis
Ante luem, ipſa ſuo ſanet nunc optima ſucco.
Addidit & meriti monumentum inſigne fauoris;
Vt cuicunque recens felicis pendeat herbæ
De collo radix, tali (mirabile dictu)
Nunquam peſte cadat, voluit quod Delius ipſe
Eſſe ratum, gnarique obſeruauère minores
Hactenus, & tanti narrant miracula facti.

Nec piguit memorare, meísque intexere chartis,
Quando etiam ficto variarunt seria ludo
Sæpe sacri vates, & amant figmenta Camœnæ.
Hæc ego Pictonicis olim secretus in agris
Buxiferos inter colles & confraga saxa,
Numen vbi dabat ipse loci gratissimus horror,
Cantabam exili quà se vagus amne per herbas
Clanus agit sensim & sinuoso litore serpit,
Tempore quo veteri deductus ab Hectore sanguis
H ENRICVS, *noua spes hominũ, noua cura Deorũ,*
Gallica Sarmaticis forti coniuncta gerebat
Sceptra manu, & creperi post cæca pericula Martis
Optata vnanimes reuocabat ad otia Gallos.
Cúmque suos sacris pius instaurasset honores,
Poscebat prolem superos, & supplice voto
Coniuge cum vnanimi, qua nil augustius vsquam est;
Quásque sacras ædes, quæque indefessus adibat
Templa Deûm, castas & dona ferebat ad aras.
Non hiemis, non illum æstus cura vlla tenebat,
(Tantus amor) non qui mediis sæpe imber in agris
Fœdabat peditem, atque iter occludebat eunti.
Vos ô, si qua pios respectant numina Reges,
Cælicolæ, si quid sancti meruere labores,
Este boni, facilémque piis date questibus aurem;
Este boni, tandémque altam fundate beata
Prole domum, & lætos natis augete parentes.
O mihi fatalem Lachesis si differat horam,


Dum liceat spectare diem, cùm mascula proles
Spes generis tanti superas in luminis oras
Existat sacro ex Vtero, cùm Regia tota
Personet ingenti plausu, cùm insensa per Vrbes
Vndique festiuis celebrentur compita flammis,
Lætitiáque fremat populus, spémque omine fausto
Concipiat fore iam vt dubia discrimina sortis
Nulla ferat, placida sed longùm in pace quiescat.
Quodque colunt vltro per tot iam secula nomen
Florentes latè populi, quos alta Pyrene,
Quos & magna Thetis, magnîque sonantia Rheni
Flumina, & aëriis includunt montibus Alpes,
Vsque colant, seruétque suum sors læta tenorem.
Tunc neque Naturæ penetrasse arcana latentis,
Nec tantum huic operi nos impendisse laborum
Pœniteat, nostro si munere regius infans
Educendus erit, si non solùm ista capessent
Plebeiæ præcepta nurus, sed regia nutrix
Ipsa etiam colet, ac memori sub mente recondet,
Nóstráque ad augustas iterabit carmina cunas.

FINIS





LYRICORVM
LIBRI DVO.



AD IACOBVM AVGVSTVM THVANVM V. CL.



Ecce iterum primi relegens vestigia cursus
Ire liber gestit, populíque in luce videri,
Auctior ille quidem & Thebano insignis amictu,
Sed quem multa manent aduerso incommoda seclo.
Quippe aut vana leues ludunt præsagia mentes,
Aut certè his longam studiis offundere noctem
Inuida fata parant, nubésque infesta propinquat.
Sic vbi cæca mouet sperati occasio lucri
Per saxa & salebras media de nocte viator
It vagus, & cælo temerè se credit iniquo.
Quid facias? patriæ ornandæ me tanta cupido
Impulit, vt nec morum vlla ratione, neque æui
Planè habita, hanc etiam Musarum attingere partem
Arderem, & votis quemcunque vocatus Apollo

Annuerat, sinerem in vulgus properare laborem.
Est certè & Musis ætas sua: nil adeò ingens
In sese orbis habet, quod non crescentibus annis
Floreat & senio tandem languente fatiscat.
Græcia sic quondam, sic illius æmula Roma,
Atque aliæ, atque aliæ diuerso sidere gentes
Quæque suas habuere vices, mollíque receptas
In gremio dulces longùm fouere Camœnas,
Quas demum sensere mori, cursúque peracto
Deficere, atque aliis se rursum attollere terris.
Nec mirum ipsa suo si tempore Gallia certas
Fatorum series, immotáque fœdera sentit,
Quæque priùs pleno nos lumine Musa solebat
Spargere, nunc vultus paulatim abscondit amœnos.
Mene tamen pulcris ideo desistere cœptis
Inuidiæ nequidquam artes ac tela timentem?
Non ita Natura ignauo me pectore finxit
Fida parens, pigroue ætas sic frigore vinxit.
Adde quòd & numero è magno, quem Pegasis vnda
Proluerat, superant nati melioribus annis
Pauci aliquot, pauci, sed verum dicere si fas,
Diuina ingenij vincunt qui laude priores,
Scaliger ante alios, & tu doctissime Lipsi,
Quique adeò Latij princeps arcana recludit
Eloquij, Musásque tenet Passertius omnes,
Pithœique, Fabérque, & pulcro nomine Florens,
Et gemini Douzæ, Batauo qui è litore fulgent,

Pieriósque iuuant cursus ac nubila pellunt.
Vtque alios taceam mihi vel tu sufficis vnus
Auguste, augendis nomen fatale Camœnis,
Quem sibi Pegasides socium adiunxere, sacrique
Muneris in partem dux ipse vocauit Agyeus.
Præstantes animæ, Aonij spes vltima regni,
Phœbeum extremo quæ tempore clauditis agmen,
Vos dum fata sinent cœptam decurrere vitam
Desperare nefas quin sit sua gloria Musis.
Nec mihi vel Siculæ fœcundos meßis honores,
Vel quæ gemmiferis merces quæruntur ab Indis
Optarim, aut flauas Hermi rutilantis arenas.
Tantùm iudicibus vobis mea scripta probari
Concedant Superi faciles & Cynthius author,
Summa ego sublimi tunc sidera vertice tangam.
Forsan & has aliquod nomen sperare per artes
Fata iubent, seróque diu memorandus ab æuo
Ad viuum antiquos non vno carmine vates
Expreßisse ferar. quod si potuisse negabit
Postuma, me certè voluisse fatebitur ætas.



PRÆFATIO IN LYRICORVM LIBRVM PRIMVM.

AD LECTOREM.

Pindarica, Lector, hoc libelli quicquid est
Dici volebam, non quidem quod ipsius
Me dignitatem Pindari iactem assequi,
Cuius nec hæsi semper hîc vestigiis,
Nam pro instituta vatibus licentia
Hinc inde numeros lege nulla colligens,
(Nisi quam meo ipse iure dixeram mihi)
Inusitatos nectere ausus sum modos.
Si pauca demas, in quibus seuerius
Tentare placuit ecquid arduum foret
Tantum referre pectine Ausonio virum.
Sed cùm sit artis ille princeps & pater,
Visum est ab eius nuncupare nomine
Hoc qualecunque est quod opus it in publicum.
Atque vtinam eunti fausta sit profectio,
Genius neque absit: sed quis hoc tandem sibi

Ausit alieno polliceri seculo?
Nam per tumultus bellicos canentium
Audire vatum nec licet iam nænias,
Nec si audiantur, vllus huic scientiæ
Honos relictus Martis inter munia.
Quis ergo, dices, te impotens agit furor
Sic perdere operam? Immò optimè illam colloco,
Amice Lector, sic enim demum asperos
Fallo dolores, temporumque iniuriam.
Tu si vicissim vis meis frui bonis,
Fruere, mihique quod canendo præstitit
Idem legendo fac tibi hæc præstet chelys.





SCÆVOLÆ SAMMARTHANI PINDARICA,

AD Christianissimum Regem HENRICVM IIII.

De victoria Evriensi.

I.

VENVSINA *per vireta*
Vatem, Diua, tuum rege,
Incognitósque vulgo
Mihi da decerpere flores,
Vnde egregius texendi artifex
Principi adstruam meo
Tortilem nexu Ogygio corollam.
Iuuat recessus ire per abditos,
Quà nulla vates antè duxit orbita,
Nec me peregrinum licet
Rupes inaccessa aut locorum
Asperitas salebrosa terret.

II.

Vt enim arduum sit illud
Quod molimur opus, tamen
Vires profectò vires
Animósque dat ipsa voluntas,
Laudísque haud inhonesta cupido.
Improbus quid gloriæ
Non amor suadet? ruit ipse miles
Et liberorum & coniugis immemor
Necem in propinquam, tentat impauidus Ligur
Intacta nautis æquora,
Tantùm vt futuris deinde seclis
Nomina concelebrent nepotes.

III.

Neque longa forsan ætas
Olim nos quoque nesciet
Ausos inusitato
Tibi pectine dicere cantus,
O inclyte Rex: tu modò gratum
Laudis hunc plausum tuæ
Lætus exaudi: tibi nam laborum
Hæc vna merces. Non ego frigidæ
Sub hiemis ipso sidere receptas canam
Tibi tot vrbes, tot relata
Ex hoste paßim dißipato
Litus ad Armoricum tropæa.

IIII.

Sed & hos volens tacebo
Quos tot iam tibi prælijs
Vis blandi amica fati
Cumulauerat antè triumphos,
Quàm susciperes debita Princeps
Gallici fræna imperî.
Vna de multis mihi carmen esto
Quæsita cælo vindice laurea,
Quà latè apertus Evry campus patet,
Fusis fugatis hostium
Turmis, & ipsò perduellis
Militiæ duce Lottareno.

V.

Sator ille nempe Diuûm,
Quæ sceptra arbitrio suo
Lectis benignus olim
Concedit regibus, idem
Et constanti numine firmat.
Iustus hinc cæli furor
Sæuit rebelles in populos, neque
Impias fraudes & iniqua vota
Iuuat ambientum regna per fas & nefas.
Quin ille debitas luat
Pœnas, proteruo si quis audens
Contra animo superos lacessit.

VI.

Tibi quid, ſuperbe ductor,
Facto profuit agmine
Tot exteras nefanda
Trahere vndique ad arma cohortes,
Belgas, Italos, rebuſque nouis
Infideles Inſubres,
Et (quibus ſeſe veteres triumphos
Oblita fœdè Gallia mancipat)
Truces Iberos, quicquid & coïuerat
Ferociorum ciuium,
Quos egit in cæcos furores
Vel mala mens, vel inanis error?

VII.

Pius ecce Rex amico
Fretus numine, ſpiritus
Qui frangat & rebelles,
Tua victor & auſa retundat.
Viden' vt patriis lætus in armis
Martios inter duces
Emicet? dextrum prius vt Tonantem
Precatus hoſtes in medios ruat?
Vt ſternat enſe quicquid vſquã eſt obuium,
Velocis inſtar turbinis,
Aut fulminis, quod iuſta Diuûm
In pauidas rotat ira gentes?

VIII.

Procéres ô & beati
Qui vestram liquidò fidem
Regi optimo probastis
Tantæ in discrimine pugnæ,
Quorum eximia virtute stetit
Publicæ culmen rei,
Vos quibus tollam numeris ad astra?
Quis fando poßit singula persequi
Quæ vos madentes impiorum sanguine
Latè edidistis funera?
Quot victa summisere vobis
Colla duces manibus reuincti?

IX.

Heliconis ille princeps
Docti præsidium chori
Vestra omnium Thuanus
Facta inseret vnus Olympo,
Siue ille cheli, seu malit tuba.
Ipse parui conscius
Ingenî tantùm tenui phaselo
Propinqua rado litora, seligens
Magno ex aceruo pauca, nec porrò hostium
Tot per cadentum vulnera
Vnus Egmundi celebrem
Sit mihi fas tacuisse cædem.

X

Ferus ibat, & paternæ
Egmundus necis immemor,
Indigna luce proles,
Peditúmque equitúmque cateruas
Parte ex alia ductor agebat.
Nullus arrogantior
Spernere aduersas acies, sibique
Spondere palmam: cúmque adeò viris
Tot imperaret insolens (nam legerat
Hunc Parma qui vicem suam
Ad castra Lottarena gentis
Duceret auxiliaris agmen.)

XI

Etiam hoc ferociebat.
Quin ipsum impatiens moræ
Et Manium increpabat,
Lentumque acuebat ad arma.
Cùm manifesto in lumine visa
Ecce truncati patris
Astitit campis mediis imago.
Manabat atro tunc quoque sanguine
Collapsa ceruix, qualis hanc cùm frangeret
Iberus olim carnifex.
Hoc ore natum aggressa, Quæ te,
Dixit, agunt furiæ, quis error?

XII.

Etiámne cæde nostra
Infectas sequeris manus?
At si tibi quid vsquam
Animi vel mentis inesset,
Iniuria te tanta moueret.
Nam quid heu dignum cruce
Feceram, infelix? nisi fortè in auras
Quòd tam impiatam progeniem extuli,
Ad cætera insons. Túne quam debes tuo
Vitam parenti, hanc hostibus
Impendis, ipsi qui parenti
Innocuam eripuêre vitam?

XIII.

Scelus hoc ferum vel ipsi
Vastis in Libyæ iugis
Refugerint leones.
Nec te mihi sanguinis opto
Vltorem, anima ô vilis & indiga
Sanioris consili,
Hanc neque ad curam venio, sed atris
Vt te inferûm vmbris deuoueam pater,
Mortis propinquæ nuncius. Vix talia
Cùm fumus actutum vt leuis
Euanuit, fugítque longo
Cum gemitu aërias in auras.

XIIII.

Pauor at repente pectus
Turbati ducis occupat:
Qui visu in auspicato,
Furiis vt concita Mænas,
Territus, amens, sine lege ruens
Tela se inter Gallica
Inijcit morti haud dubiæ. Cadentem
Vidére colles, qui Druydum vetus
Tenuere nomen, & propinqua Sequanæ
Plausum dedêre litora.
Ille impio latè cruore
Fœdat humum moriens & arma.

XV.

Mora nullà, terrefacti
Occiso duce milites
Non iam ordines tenere,
Non cœptæ insistere pugnæ,
Sed se trepido temerè cursu
Vertere in turpem fugam.
Túque fax tantorum adeò malorum,
Bellique princeps (nec pudor est) fugis,
Spem vitæ & omnem ponis in sola fuga,
Ceu degener lepusculus,
Qui vi latrantum obsessus omnem
Collocat in pedibus salutem.

XVI.

Vbi nunc tot arrogantes
Voces? ille vbi fortium
Contemptor antè regum
Animus? fugis, vlla neque vsquam
Tuta satis via. Quin & proximum
Amne traiecto iubes
Dirui pontem, tibi fortè sæuus
Ne victor instet, qui tamen vndique
Premit fugaces, atque toto litore
Deserta cædit agmina.
Confusus it cœlo hinc sequentum
Plausus, & hinc gemitus cadentum.

XVII.

Iouis optimi propago
Vos hanc, Aonides Deæ,
Adoream per omnes
Latè diffundite terras,
Vsque à Ligeri Eoum ad Gangem,
Caspy & sali ostia.
Dicite Henricum pietate & armis
Insignem, acerbis temporibus datum,
Nulli labori non parem, fidei integrum
Virtute nec superabilem
Nec arte, subiectis benignum
Gentibus, indomitis tremendum.

IN TVMVLVM P. RONSARDI

Ad Abelem Filium.

Strophe 1.

QVO te beatam nomine
Prædicabo potißimum,
Galliæ ô decus, Vrbiumque ocelle
Quæ bellicosi nomine Cæsaris
Gloriaris ciuitas?
An quòd blanda loci ridet amœnitas,
Lætisque circùm tot places Viretis?

Antistr. 1.

An quòd nitentis fluminis
Diuite allueris Vado?
An quòd mille tuas per officinas
Nent delicato pollice Virgines
Fila Serum mollia,
Vnde & crescit opum Vis tibi, & Vltimus
Te nouit orbis? Quid sacras tot ædes,

Epod. I.

Educta cælo quid loquar palatia?
Vna tamen superest
Quæ te gloria cælo
Æquat, æternum cineres sepulti
Vatis & ossa

Strophe II.

Sub mœnibus seruas tuis,
Cui nec Vlla parem tulit
Aetas,nec feret. ô mihi Verendi
Saluete Manes: Vt Video lubens
Parua tanti nominis
Busta & relliquias! Nec piget amplius
Dulces quòd exul liquerim penates,

Antistr. II.

Dum turbulenta factio
Pictones furiat meos.
Abundè mihi iam est, benigna postquam
Sors inquieti damna tot exili
Pensat hoc solatio.
At tu (nam Vacat & clausa silent fora)
Natorum Abeli prima pars meorum.

Epod. II.

Ades virique maximi mecum incipe
Versibus Aeoliis
Iustas dicere laudes.
Tota Ronsardum resonent ab alto
Fornice templa.

Strophe III.

Qui barba cum nec primula
Vestiret roseas genas,
Casto Pieridum calens amore
Intacta Pindi culmina per nouum
Scandere ausus est iter,
Gallósque artis adhuc Pieriæ rudes
Lyra beauit primus atque plectro.

Antistr. III.

Intonsus illi Cynthius
Munera hæc dedit, indole
Captus egregia aurei puelli,
Tunc cum exeuntem è rupibus Aonum
Ad suos dimitteret.
Atque hanc ipse Deus texuerat lyram
Mira arte cælans, finxeratque circum

Epod. III.

Noui labores vatis & nascentium
Omnem operum seriem,
Quæ longe ante videbat
Scilicet vatum Deus & futuri haud
Inscius æui.

Strophe IIII.

Illic gemellas fecerat
Figurâ illice virgines
Cassandram & Mariam, iecur quæ amantis
Læsum vstularent dissimili face:
Hæc placebat mollior
Lasciuis oculis, illa seuerior:
Vterque tanto vate dignus ignis.

Antistr. IIII.

Blandi volabant leniter
Hinc & inde Cupidines,
Harúmque ex oculis nouæ subinde
Flammæ legebant semina, non secus
Atque apes dum roscida
Hyblæ peruolitant rura, noui legunt
In mellis vsum flosculos madentes.

Epod. IIII

Inde ebore pictus dædalo & Lædus pater
Vindocinos per agros
Lento se amne trahebat.
Candidæ circum viridi sedebant
Littore Nymphæ.

Stroph. V.

Ipsi herbido strati solo
Canebant ouium duces
Regna Capripedum, leuésque flammas.
Nutante passim vertice crederes
Prona flecti robora,
Arrectis & oues ebibere auribus
Dulces relictis pascuis querelas.

Antistr. V.

Hæc inter & potens opum
Natura omniferos sinus
Pandebat varias trahens figuras
Rerum, alma tellus quas alit, arduæ
Lucidi quas ætheris
Celauere domus, materiem optimis
Hymnis poëtæ maximi futuram.

Epod. v.

Neque procul inde principes etiam viri
Emicuere, quibus
Concessura canendo
Ipsa Ronsardi chelys haud caducos
Esset honores.

Strophe vi.

Atque vnus inter cæteros
Ibat sidus vt aureum,
Quem clarum & spoliis Gradiui, & ipso
Fratris propinquo funere Gallicis
Debitum regnis ducem
Vsque à Sarmatico litore Vistula
Regem sibi vnum plurimus vocabat.

Antistr. vi.

Percussa pectus candidum &
Passis Gallia crinibus
Flebili prece prosequens euntem
Moras trahebat, Quo fugis impie,
Nec relictæ in lacrymis
Te matris miseret? si quis adhuc amor
Præfer Polonis me, fugámque siste.

Epod. VI.

Hac per ego te Vbera, quæ tenellus suxeras,
Obsecro siste fugam.
Hæc & plura: sed ille
Surdior ponti scopulis cupita
Regna petebat.

Strophe VII.

Parte operis in summa duces
Armaque & profugæ Phrygum
Carinæ monitu Iouis per alta
Vasti natabant æquora Nerei.
Ipse princeps agminis
Francus magnanimo sanguis ab Hectore
Francorum origo, Gallicæque genti

Antistr. VII.

Noua inditurus nomina
Tollebat caput arduum,
Latè Dardaniis micans in armis,
Ceu purus orto lumine Lucifer.
Puppi & à picta suos
Hortatus socios forti animo nouas
Adire sedes, cœptum iter tenebat.

Epod. VII.

Felix reperta nobili ante omnes tuba,
Si modo Dij ſinerent:
At pulcrum improba cœptum
Parca turbauit, medióque telam
Stamîne rupit,

Strophe VIII.

Illum dolenti, & lacrymas
Fundenti ſimilem ſuo
Iuſta ſoluere diceres poëtæ,
Vt raptum acerbo funere conſtitit.
Remigéſque languidos
Errore in medio deficere, & viris
Dulcem futuræ ſpèm periſſe famæ.

Antiſtr. VIII.

Tali laboratum manu
Vates accipiens ebur,
Miratur ſpeciem, nouóque lætus
Honore voluit viuida identidem
Huc & illuc lumina,
Paulatímque fides tentat & omnium
In ſe ora vertens protinus virorum

Epod. VIII.

Pictura quicquid continebat fertili
Explicat ingenio.
Nam quæ singula vates
Cæteri claudunt numeris, hic vnus
Omnia clausit,

Strophe IX.

Vt amne passim d[illegible]uio
Nilum Aegyptia iugera
Non vno accipiunt vado sonantem,
Largi sed vndans copia fluminis
Diditur latè, Aphricum
Litus dum subeat, séque per ostia
Septem æstuoso misceat profundo:

Antistr. IX.

Sic illa inexhausti ingenî
Vis nullum sibi terminum
Permisit statui. Quid inde honestos
Mores, auitum quid referam decus?
Nam vetusti sanguinis
Fumosæ extulerāt hunc quoque imagines.
At istum honorem vulgus approbarit,

Epod. IX.

Me nulla inanis dona fortunæ mouent:
Quæ bona vera animi
Nulla ætate caducam
Afferunt laudem, seges illa nostris
Apta Camœnis.

Strophe X.

Dicam oris Hyblæi fauos,
Laudabo stabilem fidem,
Addam & perpetuum bene institutæ
Vitæ tenorem, & candida pectora.
Nec tacebo præ omnibus
Conuictum facilem, qui cum ego Caucasum
Extremum adissem Barbarásque Syrtes.

Antistr. X.

Sed quid bonis tot profuit
Pollere, inuida si breui
Momento hæc Lachesis tulit sub Orcum?
Nos, chare fili, quod modò possumus,
Visere hoc sacrum iuuat,
Et busto querulas fundere nænias.
Tu, si sepulchri cura te vlla tangit,

Epod. x.

Manes beatos inuoca, & plena manu
Illius ad tumulum
Lectos vndique flores
Sparge, qui nostri modò flos nitebat
Vnicus æui.

AD P. PITHEVM.

Strophe.


GE ô *candida Pieri*
Vatis vna voluptas,
Arripe plectra, dum nos
Veniens nouus excitat ardor,
Concinamus auribus
Quod placere Latinis
Poßit auream Ogygi
Vatis ad cytharam.
Sed ô decus perenne rerum
Nouo quem tu carmine
Nunc beabis insolentem
Siue hominem seu Deum?
Tibine meus erit
Grata Pitheus seges,

Deorum vnus & hominum amor,
Sui quem fatu liquore nitido
Bonæ in sinu aluere Gratiæ?

Antistr.

Tumultus licet hunc fori
Sæpe dulcibus antris
Auocet haud volentem
(Themidis siquidem ille sacerdos
Et cauet clientibus)
Te tamen colit vnam.
Scilicet probè memor
Quàm tuis placidè
Quiescat in sacris, quot olim
Latebras lustrauerit,
Dum tuos adit recessus,
Quas neque cuiquam alteri
Prius aperueras.
Hei mihi quod aureum
Virum vrbs impia retinuit,
Megæra intus æstuante, scelera
Tot inter hominum furentium!

Epod.

Beata superum cohors
Quibus est bonorum

Salus amica, ne placidæ adeò
Sinite animæ cupita eripi otia.
Licet ſapienti ſuam quietem
Quis auferre poteſt, ſuam & modeſtiam?
Virtus ſolidi appetens boni
Vna vſque permanet
Turbas & ad omnes
Immota. Pone Pitheum
Vbi Adria ſpumantior
Fremit, pone vbi Mars grauius tonat,
Semper erit quietus.

AD IACOBVM AVGVSTVM THVANVM.

Strophe 1.

DVM *meditor veteri*
Fidis Aeoliæ
Te ſonare cantu,
Auguſte, viden' Phocide tota
Nouem repente vt ſorores
Huc adproperent, vtque marum
Ingenti virtutum ex aceruo
Pulcra quæque legant,
Canentis vnde læto

Vatis ori ſuggerunt
Ornandum alumni ad decus fertilem
Copia locuplete ſegetem ?
Genus hæc patrúmque imagines
Mihi larga miniſtrat,
Nec inter eos pium
Silet parentem,

Antiſtr. 1.

Quem pudor atque fides
Statuere ſacro
Principem in Senatu.
Hæc diuitias addit auitas,
Amica vitæ beatæ
Fomenta: gradus illa ſupremos
Et ſplendentum faſces honorum.
Illa ſed melior,
Caduca nempe ſpernens,
Digniora ſufficit
Dona ingeni, dulce fandi decus,
Romulæ pia munera Dices,
Sophiam, & rerum latentium
Cauſáſque vicéſque,
Nec ipſa ſuas in his
Omittit arteis.

Epod. I.

Etiámne morum
Huc accedit honos, & illa porrò
Omnibus vna præstans
Adiungit almi sanctum amorem numinis,
Adiungit patriæ atque regi
Probatam iniquis temporibus fidem?
Mihi quæ Dearum
Ope ego præstita omnia carpo
Manu statim impigra,
Non secus atque nitenteis
Per prata gemmantia
Flores, rutilum vnde tibi
Sertum gratus offero.

Strophe. II.

Tu tamen hoc obeas
(Modo si placeat)
Optimè vel vnus.
Nam quid pigeat lumine mentis
Tuas recensere dotes,
Quas ipse tuo carmine dicas?
Qualis pictor, siue ille Apelles
Siue quisquam alius
Et vsu & arte præstans,

Fortè si pingi velit,
Se curiosè hinc & hinc lucido
Conspicans speculo, nec ope egens
Alia, vultum ipsemet suum
Effingat ad vnguem.
Sed hoc adeò negat
Modesta virtus.

Antistr. II.

Candidus Aonidum
Tibi quicquid amor
Præstat inuocanti,
Hoc ætheria percitus aura
Deo vel impendis vni,
Vel si qua Deo proxima castæ
Occurrunt argumenta Musæ.
Dicta nec toties
Loquacibus Pelasgis
Arma Phlegres impia,
Magni & trisulco Iouis fulmine
Tristium obruta corpora Ducum,
Miseri nec fata Pergami,
Nec somnia vulgo
Placentia futili
Retexis orsu.

Epod. II.

Tibi carmen ille
Senex diuitis Hußiæ colonus
Omnia dura quamuis
Authore cœlo sufferens incommoda.
Felix terque quaterque felix,
Quem tot malorum fluctibus obrutum
Medios per æstus
Placida mens & aurea sursum
Modestia erigit,
Omnia despicientem
Fortunæ inanis bona.
Quod si mihi dicere fas
Que vera esse sentio,

Strophe III.

Enthea nec temerè
Mouet ora Deus,
Ad beatitatem
Certe haud minima acceßio facta est,
Quod illa magni Thuani
Iobum quoque vox diuina sonat.
Quid vero & Romanè loquentem
Princip m Solymes,
Docentis ore cuius,

Non sine afflatu Dei,
Præcepta manant Hymetti aureis
Dulciora fauis? quid alios
Referam vates, sacra ætheris
Oracula, quos &
Frequens Latium duce
Legit Thuano?

Antistr. III.

Nam leuiora viri
Memorare opera
Forsan haud decebit.
Quamquam aligerûm prælia & arteis,
Nouósque cultus canentem
Audire lubens quis neget? ô me
Quanta olim pertentat voluptas
Alta dum in spatia
Et aëris nitenteis
Aufferor latè plagas,
Quò me potens cúmque vel nescium
Vatis eximij rapit amor!
Et erit quisquam inficetior,
Qui carpere tales
Remissi animi iocos
Licenter ausit?

Epod. III.

Sapit ille quisquis
Miscet dulcia tristibus, nec inter
Tædia mille fessam
Leuare mentem negligit. Quis improbet
Si post pondera tanta rerum,
Thuane, tantos pro patria tibi
Obitos labores,
Leuibus interim atque iocosis
Honesta temperes
Otia? Nam neque Pindi
Saltus amœnos, neque
Nympharum agiles choreas
Te solum sequi iuuat.

Strophe IIII.

Publica res etiam
Sibi sæpe suo
Iure vindicauit,
Musæque sinu auulsit alumnum,
Vt vsus hoc exigebat.
Et nunc ea te quoque cura tenet,
Dum voluis quod pressam Gradiuo
Galliam recreet

Sequester institutæ
Pacis à Rege optimo
Delectus. ô fausta si sors ferat
Cæca vt impietas & odij
Pereant inuisa semina,
Mentésque rebelles
Ad officium tuo
Lepore ducas,

Antistr. IIII.

Gloria quanta tibi
Opere egregio,
Fama quanta surget!
Non Ismarij grandius Orphei
Fuisse factum feretur.
Blando ille feras pectine traxerit,
Dum lingua flectas perduellium
Asperos animos,
Quibus ferociorem
Nulla gignit Africa
Aut aspidum aut tigrium sanguinem.
Cœpta Dij tua prospera velint,
Modò perge, Auguste, tam pio
Neu parce labori.
At ô bona Pax, quies
Amica rerum,

Epod. IIII.

Ades & benigno
Tandem lumine nos tuo serena.
Pelle procul furores
Ad vsque Calpen, solis vltimã & domum.
Et, si cura piorum est,
Ne regna deinceps Gallica desere.
Quid enim Dea nobis
Sine tuo fauore beatum est?
Ades bona & bono
Grata fauénsque Thuano
Quocunque se conferet
Fac illius vt alteri
Semper fida sis comes.

Ad Iosephum Scaligerum.

Strophe I.



VANDO *ratum est abire,*
Nec impotens te gementis
Desiderium patriæ,
Non preces tuorum,
Non moras nectentum amica

Tot procerum cura moratur,
I quò fata iubent, piæque
Vocat gentis amor.
Non ego crediderim hæc fieri
Absque Diuûm numine,
Nec arrogare tantum
Sibi sors improuida poßit.

Antistr. I.

Omnibus hunc vtique
Honestum amorem ipse rerum
Certißimus ordo inserit
Diis colendum & ipsis,
Vt suam seruent parentes
Progeniem. Nonne vides vt
Si quando hostis adest & vrbi
Minatur pauidæ
Perniciem, properè hinc aliò
Liberos dulces pater
Amandet, imminentem
Si poßint fallere cladem?

Epod. I.

Sic arbiter ille rerum
Deus æthere ab alto

Miserè ruentem vbi vidit
Cæco tumultu Galliam,
Te quoque te beati
Memorabile pignus. Olympi
Subtrahi tantæ placuit ruinæ,
Magisque tuta in sede locari.

Strophe II.

Scilicet & Lacones
Simonidem sic gemelli
Quondam hospitio in Thessalo
Nil sibi timentem
Aedium instanti ruinæ
Eripiunt: qui sacra & ipse
Casta Pieridum colebat,
Vt ardenti animo
Tu quoque nunc ea ritè colis.
Et Deûm quisquam in fide
Profanus elegantes
Posthac neget esse poëtas?

Antistr. II.

O meritò superbam
Batauiam, non ferace
Tantum vbere pinguis soli,

Non situ beato,
Litoris non portuosi
Diuitiis, non operoso
Præstantum artificum labore,
Sed hoc præcipuè,
Quod tanti ora videre viri,
Totque fœcundi ingenî
Diuina sensa docta
Haurire ex voce licebit.

Epod. 11.

At nos abeunte amico
Simul omnia abire
Studio dolemus inani.
Quod te per vlla si piòs
Cura mouet sodales
Vbicunque eris obsecro nostri
Sis memor semper, Philiique sanctum
Iouis caueto lædere numen.

IN OBITVM IACOBI FAI SPESSÆI V. CL.

Ad Carolum eius fratrem Senatorem.

Strophe 1.

IAMNE *vides nimis infelix,*
Iamne sentis Gallia,
Quàm te fata impia tangant?
Si quem tibi dedere
Benigna ciuem numina,
Virtutem auitam pectore qui gerat,
Qui laceræ sarcire ruinas
Aptus sit patriæ
Vnguibus actutum hunc auidis rapit orcus & atra
Lethes gurgite mergit.

Antistr. 1.

Hei mihi quot quantósque viros
Parca momento breui
Nobis inuidit iniqua!
Hæc abstulit Noæum,

Hæc te Lemuncuri abstulit,
Castelliúmque, & nunc ego quem gemo
Fajum, & mille alios, quibus orba
Iam tum luminibus
Gallia debuerat nimis ah manifesta ruentis
Sentire omina Regni.

Epod. I.

An partes Nemesis suas
Hic agit, offensos scilicet vlta Deos,
Ob tot crimina criminúmque causas,
Fœcunda noxæ quas habent hæc secula?
Nam penitus pudor exoleuit:
Furta nunc fraudésque, & auara habendi
Fert quæcúnque sitis, quicquid & efferum

Strophe II.

Sanguinis improbus audet amor
Impias per Gallias
Pulso grassatur honesto.
Putes genus Cyclopum,
Qui quà iacet quondam vltima
Late feracis Trinacriæ plaga
Deprensos in litore nautas
Raptabant auidi,

Carnificúmque instar iugulis mucrone recisis
Fœdo more necabant.

Antistr. II.

Multa virûm lita sanguineo
Membra tabo luridis
Pendebant vndique tectis.
Quæ nec labor coquebat
Vllus, sed infamem cibum
Humanitatis nescia pectora,
Sicut erat, sine lege vorabant.
Non multum his adeò
Gallorum distat feritas, quos pectore nullus
Tangit sensus amoris.

Epod. II.

Deme oris decus insitum,
Deme vsum eloquij, dixeris esse feras.
Quales æquore qui vagum sequuti
Comites Vlyssem colle Circeo simul
Sole satæ biberant potentes
Colchidis succos hominem exuebant
Mutati stolidum turpiter in pecus

Strophe III.

Heus vbi nunc veterum illa patrum
Caritas doli inscia, &
Generis pia cura iuuandi?
O siderum maligno
Nati sub aspectu, quibus
Haurire primam hoc tempore contigit
Inter tot contagia lucem!
Quæ Spessæe tamen
Vitabas, tantóque magis tua fama nitebat,
Ceu per noctis opacæ

Antistr. III.

Tempora lucidius rutilat
Sidus inter nubila.
Sit quamuis arida tellus,
Fœtus tamen beatos
Generosa reddunt semina.
Nec te creatum sanguine nobili
Quamuis turpia sæcla vetabant
Virtutem exprimere.
Atque has Naturæ dotes, hæc insita primo
Vitæ à limine dona

Epod. III.

Bonis auxerat artibus
Musarum sacro te pater amne rigans.
Quem vix attigeras, puellus audax,
Cum molle carmen Teij tentas senis
Ausonio resonare plectro.
Dúmque paulatim nouus in tenello
Gliscit corde furor, mox etiam ipsius

Strophe IIII.

Romula Virgilij recinis
Ore Graio carmina.
Miratur mentis acumen,
Et gaudio triumphans
Subinde amicis te pater
Ostentat vltro, spem senij sui,
Quos inter grauis ille Michael
Legum primus honos,
Astrææ interpres idem Phœbíque sacerdos
Grati amplexus amici

Antistr. IIII.

Aureolum gremio puerum,
Cresce, dixit, ô puer

Generis spes optima tanti,
Cresce in tui parentis
Et gloriam & solatium.
Si vera nobis indicat indoles,
Nec vatem præsagia fallunt,
Olim tempus erit,
Cum te doctrina insignē Respublica tollet
Summo ad sidera plausu.

Epod. IIII.

His dictis senior nouo
Incendit cupidum laudis amore animum.
Inde ætas vbi firma venit annis,
Post facta Iuri sacra in æde Pictonum,
Primitiásque foro dicatas,
Mox datur summo locus in Senatu,
Nec desunt iuueni debita præmia,

Strophe v.

O tua quàm subito hic patuit
Tot graues inter viros
Iuuenili ætate senilis
Constantia, atque prudens
In iudicando castitas!
Quas te per artes, nec mora, lucido

Fama euexit ad æthera curru
Spectatum populo,
Spectatum & Regi, Regiſque ante omnia fratri,
Cui Polonia ceßit.

Antiſtr. v.

Forte ſuum rigidi extulerant
Sarmatæ Regem, neque
Superabat debitus hæres,
Et principis legendi
Vrgebat anxios patres
Incerta dudum cura, fauentibus
Nunc huic nunc propenſius illi
Conſultantum animis,
Ventorū vt variis impulſum flatibus æquor
Huc iactatur & illuc.

Epod. v.

At te prouida Principis
Cura ſimul longas iußit inire vias,
In vnum eloquio tuo coacti
Omnes repulſis ambientium artibus
Conueniunt, neque conquieſcis
Impiger, donec domino cupitum
Gens tota imperium, iuráque deferat.

Strophe VI.

Nunc etiam pater ipse memor
Amne toto Vistula
Spessæi nobile nomen
Latè sonat. Quid illê
Quid interim rex optimus,
Cui tam fideli te obsequio probas?
Nempe larem simul atque reuersus
Intrauit patrium, (dum
Sũpsit vbi auspicibus superis sibi debita du-
Fratris funere sceptra,

Antistr. VI.

Tale animo meritum reputans
Te Senatu in maximo
Fisci iubet esse patronum.
Quo se orbis in theatro,
Animis patrum obstupentibus,
Vis illa fandi quàm pote maxima
Exeruit: neque postea longi
Effluxere dies,
Cùm te cõsilium in sacrum, cui præsidet ipse,
Sponte admittit & vnum

Epod. VI.

Deinde rebus in arduis
Participem arcani gaudet habere sui.
Ecce autem medias fremens per Vrbes
Populi rebellis insolens ferocitas
Arma mouet subito tumultu.
Nullus est legum metus, atque Regum,
Diuûm nullus amor, nulla modestia.

Strophe VII.

Nec propè iam locus vllus erat,
Turbidus furentium,
Quo non peruaderet ardor.
Vix vna fluctuantem
Turonum amica ciuitas
(Olim negabunt credere posteri)
Regem vix exceperat vna:
Felix ô nimium,
Cui tantæ fidei sæclis præbere futuris
Longa exempla licebit!

Antistr. VII.

Ipsa etiam caput & columen
Imperî Lutetia,

Diuûm domus inclyta quondam,
Defecerat sceleſtis
Adiuncta perduellibus,
Pulſo Senatu: quem pius ordinem
Reſpectans antè omnia princeps
Huius relliquias
Colligit & grata Turonum ſiſtit in Vrbe
Iuſti inſignia regni.

Epod. VII.

Verum qui reliquos regat
Patres, auguſto præſideátque loco,
Dux legendus erat, nec ille quiuis
E plebe media, ſed ſuo qui lumine
Longe alios premat Vnus omnes.
Ille nam præſtans animis ACHILLES,
Cui ſedes fuit hæc debita principi,

Strophe VIII.

Vincula paſſus iniqua diu,
Spes bonorum maxima,
Aberat, vitámque trahebat
Pro patria atque Rege
Inter latrones impios.
Hic tu Deorum non ſine numine

Eligeris, qui nobile munus
Illo absente obeas,
Désque operam paci,atque tua pro parte labantis
Sistas pondera regni.

Antistr. VIII.

Hei mihi nulla hominum generi
Tuta sors vsquam fuit!
Vix menso exegerat anno
Sol inquietus orbem,
Cum febris ardor æstuans
Aeui te in ipso flore dedit neci,
Clarúmque atro funere munus
Mutauit, nec eam
Vxoris vel fidus amor, vel gratia fratris,
Vel spes publica mouit.

Epod. VIII.

At vos, ô pia pectora,
Non sum adeo agresti præditus ingenio,
Vt lugere vetem: sed huic dolori
Modus adhibendus.damna certè puplica
Flere decet, quod vtique tantum
Gallia amisit decus, atque lumen,
Illis temporibus, cum neque talium

Strophe IX.

Vis numerosa virum est, & eo
Res loco sunt maximè,
Præstanti egeamus vt horum
Industria, fidéque.
Priuata sed si commoda
Spectetis, ecqua sorte beatior
Iam poterat Spessæus haberi,
Quam si desereret
Tot monstris fœtam tellurem, ac pura subiret
Pacati atria cœli?

Antistr. IX.

Adde quod & vetat ipsa suos
Alma virtus emori.
Viuet Spessæus, & ora
Per erudita vatum
Doctis volabit cantibus.
Nec me inter illos hæc quoque carmina
Qualiacúnque tulisse pigebit.
Quòd si cui nouitas,
Forsan & insuetus numerorum displicet ordo
Nec mollitus ab vsu,

Epod. IX.

Nimirum insolitus dolor
Non solito vatum pectine dignus erat.
Quo res cunque cadat, profectò nunquam
Huius laboris pœnitebit, si modò
Grata tibi mea sit voluntas,
Candide ô Faï, placidóque vultu
Hunc testem officij non renuas mei.

AD P. LAETVM.

Strophe I.

DVM *bellica signa secuti*
Litus ad Britannicum
Mente tot curas edaces
Tot laborum tædia perpetimur,
Patria dulci relicta,
Quàm bene Numen amicum
Atque tibi atque mihi, facunde Læte,
Consulit, sors vna quod nos iungit ambos!

Antistr. I.

Nam principis ora benigni

Quanquam acerba temperent
Omnia obtutu vel vno,
Quæ tamen solatia, quod poterat
Candidis Musarum alumnis
Gratius esse leuamen,
Quam serere alloquia inter se, & prophana
Multa vulgo indicta certatim referre?

Epod. I.

Lydia sic gemini
Cycni ad vada voce pares edunt sonos.
Nec si etiam ingenij nos tardiores
Fertili vbertate vincis,
Me minus trahit voluptas deliciis
Talibus tecum, bone Læte, frui,
Mella quibus Hyblæa cedunt.

Strophe II.

Nunc ergo vetusta citare
Facta præstantum Ducum,
Nunc lubet rerum latentes
Quærere ortus, quæ niuis aut pluuiæ
Caussa, quid latè sonantes
In maris alta profundi
Præcipitet fluuios, cur astra summo

Quædam oberrent, fixa quædam ſtent Olympo.

Antiſtr. II.

Sæpè & meminiſſe remotæ
Patriæ abſentes iuuat,
Vrbis & noſtræ ſuperba
Perſequi primordia ab vſque nouo
Gentis emergentis ortu.
Scilicet vt Venus olim
Saucia cor nitidis Anchiſæ ocellis
Diua mortalem arſerit flamma haud inani.

Epod. II.

Fertur enim alma Cypris
Idæ in Phrygiæ riguis conuallibus
Forte viri eximiam vidiſſe formam,
Dum virenti fuſus herba
Stridulæ ſono cicutæ læta procul
Rura demulcet, patriúmque gregem.
Atque equidem (vt annos decebat)

Strophe III.

Tunc mollè canebat amores,
Regnáque ipſius Deæ,

Quam tremunt tellus & æquor,
Tota quam magni colit aula Iouis,
Te, dea, agnoſcit parentem
Quicquid vbique creatum eſt,
Te ſine torpet iners Natura rerum,
Ipſe mundi ordo tibi ſe debet vni,

Antiſtr. III.

Tu ferrea flectere corda,
Tu potes coniungere
Aſperos quamuis amantes.
Sis mihi felix vtinam atque fauens.
Talia oranti repente
Aſtitit &, Tibi præſto
(Inquit) adeſt, tua quã per vota captas.
Nympha non vilis tuos ſedabit ignes,

Epod. III.

Sed Gnidon atque Paphon
Quæ frenat & alta Cytheri culmina.
Ille nouo attonitus fulgore primum
Artubus totis moueri,
Inde ſeſe vbi recepit, nulla mora
Diuæ in amplexus ruit, Æneadum
Vnde genus eductum in auras,

Strophe IIII.

Et gentis Iülus origo,
Cæsar à quo Iulius,
Galliæ qui dum ſubactæ
Signa apud Gallos ſupereſſe cupit,
Dicitur fundaſſe celſi
Mœnia Iulioduni
Haud procul à Ligeris lucente ripa,
Nomine & primos ſuo ſignaſſe muros.

Antiſtr. IIII.

Magni ô monumenta Monarchæ,
Voſque circùm frugibus
Fertiles agri & racemis,
Limpidi ô fontes, pede qui nitido
Picta per prata ambulatis,
O domus atque penates,
Quando erit vt liceat vobis fruiſci
Tot ſemel curis ſolutum tot querelis?

Epod. IIII.

Mens niſi læua foret,
Quæ me ambitio, quis amor nummi improbus
Auferat à gremio veſtro volentem,

Turbidiſque addicat aulis?
Ipſa ſed furore cæco gens hominum
Inuidet quæ ſunt bona vera ſibi,
Anxiaque falſis inhæret.

AD FRANC. PVLCRVM MOTHÆVM.

Strophe I.

GENTIS *Argiuæ decus*
Late refulſit, nec Latini gloriam
Imperî extremæ ſiluere terræ
Inſignem egregiis belli artibus
Artibúſque pacis.
Cauſam quærere ſi lubet,
Hæc vna porrò eſt, quòd ſtudio pari
Martem atque Muſas nobilis iuuentus
Vnguibus à teneris colebat.

Antiſtr. I.

Quid iuuat mundi abditas
Callere cauſſas, quid lepore Tullium
Vincere, aut cultû numeris Maronem,
Si ferus obſeßis cùm mænibus

Imminebit hostis,
Robur non animi tibi
Non apta bello dextera suppetat?
Si consilî expers viriúmque nulla
Parte queas patriam tueri?

Epod. I.

Quãto hic splẽdidius qui primis vnus ab annis
Et re & nomine Pulcer
(Antiqui vt genus Appij decebat
Romanóque satum sanguine) lauream
Iunxit vtramque simul
Bellatorque bonusque poëta?

Strophe II.

Sic marinæ filium
Thetidis docebat prouidus quondam senex
Arma non tantùm Aonias sed artes.
Mox ætas vbi firma viro fuit,
Ilicet vel ipsi
Formidabilis Hectori
Superba Troiæ Pergama funditus
Euertit, alto monte ceu volutus
Sternit humi sata læta torrens,

Antistr. II.

Magna sternit oppida:
Non tecta fossæ non tuentur aggeres,
Ipsa quæ longos superauit annos
Sylua cadit. Nec te fortissime
Pulcer hoc minorem
Ferebas duce, viuidus
Sanguis iuuenta dum fuit integra,
Sic frangis hostes, sic ferox cruento
Demetis obuia quæque ferro.

Epod. II.

Nūc miseros artus nodosa podagra reuinxit,
Infirmæque senectæ
Sæui iugiter additi dolores
Te nexum duplici compede detinent,
Ac solito prohibent
Officio non digna ferentem.

Strophe III.

Ipse te Mauors gemit,
Ipsæ cohortes militum desiderant
Te ducem, & duris quoties in armis
Mentio facta virum est, olim quibus

Inclytos honores
Virtus bellica contulit,
Ad ſumma cœli ſidera te vehunt,
Notúmque Pulcri nomen atque laudes
Tota diu ſonuere caſtra.

Antiſtr. III.

Fida ſed Muſæ cohors
Te veterem alumnum atrocibus non deſerunt
Interim in curis, tibi ſemper adſunt,
Solanturque dolentem, & munera
Quæ prius ſolebant,
Vltro nunc quoque porrigunt.
Hoc tu Dearum numine percitus
Pugnata cantas principum duella,
Quorum etiam bona pars fuiſti.

Epod. III.

O vtinam tali exemplo iam Gallia tandem
Rectum inſiſtere pergat
Veræ laudis iter! ſed inquietis
Illam vexat agens turbinibus furor,
Aſsiduúſque comes
Tam pulcris pauor inuidet auſis.

Dauidis Psalmus Primus.

Strophe..

NIMIS ô *beatum*
Qui nec faciles applicat aures
Iniusta consulenti,
Cæca nec nocentum
Ingreditur temerè vestigia,
Neque se prophanis
Admiscet irrisoribus.
Sed sui legem Dei
Casto colens pectore
Meditanda nocte diéque
Totus in illa est.

Antistr.

Erit ille qualis
Arbos riguis consita ripis,
Quæ latè opaca ramos
Explicat comantes.
Non illam acris hiems, non torrida
Violauit æstas:
Sed læta cultori suo

Fundit annuus opes.
Sic ille rerum aggredi
Quicquid volet, irrita nunquam
Vota videbit.

Epod.

Gens autem impia quæ potentis
Mandata Dei despicit,
Instar erit paleæ minutæ,
Primo quam turbine ventus
Raptam in celeres agit auras.
Ergo iudicij
Quando aderit suprema dies,
Nunquam impius consistet ante
Iudicis ora Dei,
Nusquam audebit sanctis piorum
Sese adiungere cœtibus.
Vt enim Deo bonorum
Est vita cordi,
Sic eodem vindice
Omnes funditus improbi peribunt.

AD MEDICOS ACADEMIÆ PICTAVIENSIS.

Strophe I.

ROBORE *quòd penitus iuuenili*
Septies denos propè natus annos
Horrendum inuisum morbum
Stauerim victor, pede
Calcans superbo belluam nocentem,
Simne adeò demens,
Parúmve numinis memor,
Acceptum vt referam mihi?

Antistr. I.

Sed neque Phœbei quoque mystæ,
Ars quibus firmos homines tueri,
Vestrûm vllus bona tanta sibi
Arroget, nunquam licet
Maiore cura præstitum sit vlli
Officium hoc ægro,
Qui vester, ô viri optimi,
In me summus amor fuit.

Epod. I.

Ardens igne febris
Torrebat artus iam dies quater septem,
Nec vltra pote iam pati.
Iam supremus in ipsis
Spiritus errabat labris,
Iam tecta luctu personabant
Permisto lacrymis, piisque votis,
O parce, Domine, parce vox vna omnibus.
Hæc inter subitò tenues fera pestis in auras
Abiit, meosque
Mutato rerum tenore
Post tot malorum tædia, iam subit
Alma salus penates.

Strophe II.

Quis neget hoc opus esse Tonantis?
Quem penes vitæ arbitrium necisque est,
Cui seruit Natura parens,
Nostra cui sunt omnia
Curæ perenni quamlibet pusilla,
Qui bonus orantum
Exaudit è cœlo preces
Pronus parcere supplici?

Antiſtr. II.

Nec minus & vos deinde colendi,
Valla ſummorum decus ô Medentum
Penè ipſo melior Phœbo.
Tu Milo doctiſsime,
Qui cuncta voluis mente perſpicaci,
Tu Galle, ardua cui
Natura ſe totam exerit,
Et cœlo, & pelago, & ſolo.

Epod. II.

Nam quid te memorem
Culte ô Citeſi, ciuitatis exurgens
Nouum Pictonicæ iubar,
Quo iam ſpondet in vno
Patria mille ſibi Hippocrates?
Nec ſi hic adeſſes te ſilerem,
Pidoxi pater, ordiniſque princeps,
Et, quod frequentes prædicabunt poſteri,
Primus amor Pugidis Nymphæ, cui ſe Dea
Patefecit vni, (primùm
Cui vim Naturæ latentis
Videre primo contigit, & ſacros
Inde aperire fontes.

Strophe III.

Felices quibus ille ſupremus
Vtitur rerum pater adminiſtris
Seruando generi humano!
Cuius ipſe particeps
Factus fauoris luce reſtituta
Geſtio, & exultans
Vt alter Aeſon primuli
Florem æui videor mihi

Antiſtr. III.

Nunc poſita reuocare ſenecta.
Ore ſic pallor, maciesque cedit,
Sic fuſus per membra vigor.
At quibus vos præmiis?
Remunerabor? namque vos habendi
Nullus amor tangit.
Muſas amatis, & mihi
Non deſunt faciles Deæ,

Epod. III.

Quas me olim puerum
Ab vſque Thebis, Pindarique Dircæi

Re ductis penetralibus
Huc traducere iusit
Ingenitus nouitatis amor.
Non illæ inertes conticescunt,
Sed laudes hominum Deûmque cantant.
Nec vos tacebunt, ô viri lectissimi,
Vestra sed innumeros viuent benefacta per annos,
Neque vos pigebit
Vitam produxisse vati,
Aeternitatis præmia qui suis
Vindicibus rependat.

FINIS LIBRI PRIMI.





SCÆVOLÆ SAMMARTHANI LYRICORVM LIBER SECVNDVS.

AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM HENRICVM BORBONIVM Mompenſerij Ducem.



O Flos *Hectoridum ſidere pulcrior,*
Princeps liligeræ ſpes noua Galliæ,
Qui vultu Venerem, pectore Pallada,
Mauortémque animis refers.
Vt quondam Aeacides puberibus genis
Inter virgineos delituit greges,
Dum mox fulminea terribilis manu
Altum euerteret Ilium,
Sic inter teneros Pieridum choros
Aetatis tibi ver tranſiit aureæ.
At nunc tempus adeſt, cum tua ſe exerat
Virtus impatiens moræ.
Iam diues patriis montibus Allobrox,
Iam toto amne ſonans te Rhodanus vocat,

Rectorémque sibi gaudet ab optii
Talem Principe deligi.
O si flammifero dulcis ab æthere
Pax ad nos redeat, nec fera Gallia
Iam sese vlterius tot pereuntium
Turpet sanguine ciuium,
Quæ tu in bella rues extera, Barbarum
Seu Turcam, indomitos siue premes Scythas,
Diui nota per exempla Loïsij
Tanto dignus auo nepos!
Non illum oppositi terminus Adriæ,
Non tellus tenuit, non inter insolens,
Quin ditis penetrans regna Asiæ pio
Gentes Marte lacesseret.
Illum & sub Tyriis mœnibus hostica
Tela inter madidum sanguine Punico
Viderunt socij non sine lacrimis
Vitam ponere milites.
Fortunata nimis tempora, masculæ
Cùm virtutis amor, veráque gloria
Tangebant animos, & pudor & fides
Seruabant sua fœdera.
Nunc nil egregium nil iuuat arduum
Moliri, nisi cùm stringimus impios
Enses in patriam, & turbidus hinc furor,
Hinc auri sitis impotens,
Hinc dira ambitio sæuit, & improbis

Virus letiferum mentibus iniicit,
Audens omne scelus, sit modo perditam
Fas explere libidinem.
Sed quæcunque tamen prælia te manent,
Dij faxint patrij, vt per liquidum aëra
Bigis conspicuum semper in aureis
Te victoria deuehat.

AD ANNAM IOEVSAE DVCEM Amiralium Franciæ.

IOEVSA *pubis gloria Gallicæ,*
Quem belli honestô puluere sordidum
Et sanguine hostili madentem
Aula frequens reducem salutat
Quæ digna victor præmia, quos tibi
Poscis triumphos? Nam neque tam celer
Impleuit augustum superbis
Cæsar ouans Latium tropæis,
Nec saltuosas impiger Annibal
Dum tentat Alpeis & iuga non prius
Traiecta, maioris peregit
Molis opus. via sic cunteis
Tardabat altis rupibus ardua,
Qua ponderosas tollere machinas
Per saxa præruptósque colleis

Nec validi potuere currus.
Sed rebus arctis nescia cedere
Virtus laborem quamlibet asperum
Suscepit, HENRICIque faustis
Auspiciis animosa vicit.
Mox ingruentum examina militum
Miratus hostis, tale nihil timens,
(Nam sese inaccessa locorum
Crediderat regione tutum)
Ad prima fœde prœlia concidit
Nuper feroci pectore, nec mora
Victoriæ spem abiecit omnem,
Et vacuas patefecit vrbeis.
His fama factis protinus excita,
Centum ore linguas, centum oculos gerens,
Ad castra Gallorum citatis
Læta volat per inane bigis.
Ducémque partis laudibus inclytum
Aggressa, Quo te (dixit) amabili
Sub siderum aspectu recenteis
Edidit alma parens in auras?
Virtute & ausis macte age fortibus,
O digna nostræ materies tubæ,
Faxo futuri te nepotes
Innumeros celebrent per annos.
Dicent iniquis temporibus ratam
Seruasse Regi magnanimo fidem

Dum pace polluta rebelles
Turbat agens animos Enyo.
Sic fata, gratis non sine plausibus,
Curru locatum excepit eburneo,
Terráque sublimem relicta
Summa virum super astra vexit.

De Præfectura Vrbis.



ON *tenuis villæ, aut humilis sine nomine (pagi,*
Sed Vrbis augustißimæ,
Pictonicis latè princeps quæ præsidet oris,
Quòd cura nobis credita est;
Da citharam puer, hoc venturi teste Camœna
Faxo nepotes nouerint.
Nec mea tam vano turgescunt pectora fastu,
His esse me vt parem putem.
At certè haud aberit tantis fiducia cœptis,
Nec cæca me pericula,
Nec labor, aut quicquid metuunt qui publica curant
Franget moueri nescium:
Non si bacchantes turbata per æquora venti
Cælum solúmque misceant.
Vsque adeò vestri stimulat me gratia facti,
O fida ciues pectora,
Nec si etiam vobis ipsam deuouero vitam,

Fecisse me credam satis.
Ecquid enim est maius, quàm lectum ex omnibus vnum
Præesse ciuem patriæ?
Atlantísque instar, mundi qui sustinet axes,
Rem sustinere publicam?
Odi ego priuatæ laudat qui commoda vitæ
Iners & ignauus domi.
Dúmque audit fortes Fabios, magnúmque Camillum,
Et illa Martis fulmina
Scipiadas, aut qui Graiûm feliciter vrbes
Virtute rexerunt sua,
Non magis afficitur, quàm si Marpesia pigro
Cautes rigescat frigore,
Nec subito huic pectus laudum succendit amorę
Pulcherrima æmulatio.
Quo fugis, ô demens? an si tibi vixeris vni,
Rerumque habenas spreueris,
Idcirco sæuo patriam euertente tumultu
Ruina te feriet minus?
Falleris: idem omnes tanto in discrimine ciues
Fati sequetur exitus.
Ceu ratis infestis vbi naufraga mergitur vndis
Non ille qui clauum tenet
Obruitur solus, sed nautas sæuit in omnes
Vis impotentis æquoris.
Dij tamen in melius malè-fausta hæc omina vertant,
Quæque alma nostras insolit

Nunc placidè ſedes, longùm pax incolat, & nos
Aetate ditet aurea.
Scilicet haud tanti eſt ſegetem tibi ſurgere laudis
Quærendam ab actis fortibus,
Suſtineas miſeræ vt patriæ lacrimoſa videre
Furente bello tempora.

In Pædotrophiam noſtram, & Iacobi Auguſti Thuani v. c. poëma de re Accipitraria.

IAM *garriebat, iam pede paruulo*
Tectis alumnus progrediens humum
Signabat, & nutrix & almi
Lactis amor tenues in auras
Paulatim abibant. hoc adeò meæ
Reſtabat vnum iam vigilantiæ,
Hunc mille vt infeſtis docerem
Qua fugeret tener [illegible]eſtes.
Cùm de propinquo litore Santonum
Garumna pleno quà ruit alueo,
Illuxit Auguſti politum
Vatis opus: neque me, ſed omnes
Quotquot Camœnis dulcibus integri
Pudica myſtæ concinimus ſacra,
Perculſit ingenti ſtupore

Protinus, atque silere iußit.
Ceu cùm remotis Phocidos in iugis
Alterna Musæ carmina concinunt,
Si fortè inexpectatus adsit
Delius, instituátque cantum,
Siue ille priscos pectine mobili
Retractèt ignes, notáque pascua,
Seu visa Phlegræi furoris
Bella tonet grauiore plectro:
Silet sororum continuò chorus,
Fusíque circùm Capripedes stupent,
Vocémque odoratis latentes
Collibus excipiunt Napææ.
Quàm penè lecto carmine tot noua
Miratus vno in corpore lumina
Artis vetustæ, qua recentes
Arduus exuperas poëtas,
Auguste, fregi plectraque cum chely, &
Saltus reliqui transfuga Thespios:
Ineptiarum sic mearum
Pectore me tacito pudebat!
At gloriosum est, & licet imparem
Certare tanto me iuuat æmulo,
Quo nulla maiorem tulère
Secula, nulla ferent poëtam.
Quo vate turget magna Lutetia,
Vt patre quondam Præside, quem videt
In summo & ipsum iam Senatu

Ordine ritè suo sedentem.
Illæ quidem ipsæ, quarum etiam aureis
Naturam & artes versibus explicas;
Virtute non vna volucres
Dant varios per inane gyros.
Nec magnus alii si Iouis armiger
Primas meretur, dum rapit & feras;
Viros & ipsos dum cruentat
Vngue fero metuendus ales,
Nulla est minoris gloria pumili,
Qui sæua pro se bella gerit, suam
Nec ipse prædam non reportat
Dum timidas furit in columbas:
Tu prima nostri gloria seculi,
Magno Maroni proximus, Italæ
Dicere fastum gentis vnus
Romuleo retudisse cantu.
Nobis, minori numine quos agit
Phœbeus ardor, sat fueri modò
Si prole seruata frequentes
Nomina nostra nurus loquentur.

Ad Iosephum Scaligerum Iul. Cæsaris F.



OSEPHE, *sanguis nobilium ducum,*
Quorum fideli præsidio stetit

Verona quondam, & summa vexit
Scaligerum super astra nomen.
Fortuna quanquam blandior improbis,
Virísque semper fortibus aspera,
Opes auitas & vetustos
Merserit exitio penates:
Nullis procellis tu tamen obrutus
Effers Olympo conspicuum caput,
Ceu fluctibus pulsata rupes
In medio manet alta ponto.
Aduersa contra fata reniteris,
Nec sortis vllo frangeris impetu,
Virtutis vnius colendæ
A tenero studiosus æuo.
Hanc alma mentem Musa tibi dedit,
Nuper iuuentæ fida comes tuæ
Càsus in omnes, imminentis
Præsidium senij futurum.
Quam tu secutus, non sine numine,
Qualis Sibyllam Dardanius ducem,
Profunda noctis regna & vmbras
Tænarij penetras Auerni,
Semper virentes, Elysiæ plagæ
Visurus agros, & veterum pios
Manes virorum, quos & Hellas
Et Latium tulit, imperito
Ignota vulgo nomina, Pindaros,

Blandáque molles arte Propertios,
Et vos Catulli, vos Tibulli,
Virgilióſque, Manilióſque.
Quorum tibi vni cominus omnium
Mentes beatas cernere contigit,
Et ſi quod arcanum his latebat
Aoniis aperire myſtis.
Felix laboris primitiis tui,
Felix & illis quæ melior tibi
Conceßit ætas à Britannis
Ad rigidos celebranda Bactros.
Et noſtra ſi quid luminis addere
Soli coruſco Pieris audeat,
Lubenter hoc quodcunque fido
Seruiet ingenium ſodali.
Non ſæua totum te feret Atropos,
Dicêre vatis carminibus tui
Docti parentis docta proles
Innumeros celebris per annos.
At quis Deorum te malus inuidet
Subinde nobis, nec ſinit amplius
Os illud auguſtum intueri,
Quod cupida mihi mente curas
Depellit omnes? huc ades ô tui
Lux rara ſecli, pars animæ meæ,
Vultúque diuino ſerena
Pictonicos, velut antè, colles.

Te noſter

Te noster Vlmus, te pius huc senex
Voto impotenti Borderius vocat,
Iocos tibi Vertunianus
Mille parat studiosus hospes.

Ad Ianum Antonium Baïfium.

SIC est, Baïfi, pulcra patrum degener
Inuenta negligit nepos.
Viden' diserta Roma quos lusit modos,
Hellásque Roma doctior,
Parcens labori vt spernat vsque Gallia,
Morémque seruet barbarum?
Non illa Homeris, illa non Maronibus
Vates minores protulit,
Ronsardus ex quo nemini antè peruium
Reclusit Aonum nemus.
At sacra quorum pectora entheus calor
Oestro furente percutit,
Certos nec illi verba cogunt in pedes,
Legi nec vlli inseruiunt:
Tantùm similiter desinentibus sonis
Extrema claudunt carmina.
Quis non leporis confiteri cogitur
Hinc deperire plurimum,
Tenoris expers Musice dum fluctuat,

Vt ebrij vestigia,
Nec illa porrò mulcet aures suauitas,
Quam numerus aptus efficit?
Tu quē vetustæ culta seruauit modum
Sectaris, ingressus viam
Qua nulla Gallos antè duxit orbita
Longis ab vsque seculis.
Et ipse simili mentem amore percitus
Dumeta te per inuia,
Te per salebras insequor, noua chely
Senem æmulatus Teïum.
At cui recentis hoc rud.mentum lyræ
Debetur? Antoni, tibi.
Vitis repertor Euhyus, frugum Ceres,
Oliuæ Athenarum Dea:
Vina offeruntur Euhyo, farra Cereri,
Oliua Athenarum Deæ.
Ita numerorum Gallicorū principē, &
Artis repertorem nouæ
Nefas putarim te nisi primum omniū
Numeris salutem Gallicis.
Ergo tepentis aura dum Fauonij
Sudo renidet æthere,
Secum lagenam Belnei plenam meri
Iube Camullus adferat,
Quà fons propinquus garrulo salit pede,
Notásque valles irrigat,

Hic vbi per herbam sæpe nudas vidimus
Saltare fluminum Deas.
Adsit nitentes culta Tyndaris sinus,
Adsint sodales optimi,
Bellaqua, Grifinus, & vetustæ qui lyræ
Coruillus instaurat sonos.
Hic fusus vdo gramine inter pocula
Anacreontis in modum
Recitabo versus conditos nuper mihi
Anacreontis ad modos.

Ad Philippum Portæum.

PORTÆE *Aonij delicium chori,*
Quem fausta bona sors alite protulit
Excultúmque per artes,
Et cana innocuum fide.
Nimirum ille sapit, qui Genio auspice
Naturam sequitur perpetuò ducem,
AEtatísque per omnes
Dat sese facilem gradus.
Sic æui teneri mitia tempora
Dum fluxere tibi, & vix bene primulo
Vernans flore iuuenta
Intonsis nituit genis:
Blandis Idaliæ saucius ignibus

Lusisti Aeolia plurima barbito
Non cessura iocosis
Lesboae fidibus lyrae.
Felix dicta tuis Hippolyte modis;
Felix Hippolytes nec minus aemula,
Quae te vate Diana
Caeli se ignibus inserit.
Non si possideant quicquid ab vltima
Lusitana ratis deuehit India,
Non si mille potenti
Gentes imperio premant,
His olim titulis ambitiosius
Quàm Musae numeris intumeant tuae,
Per quos ore nepotum
Sperant perpetuò cani.
Sed nec magnanimi principis interim
Dotes egregias, factáque fortia, &
Sanctum pacis amorem
Arguta retices chely.
Quid cùm maius opus praeterea mouens
Orlandi furias, & Stygio Ioui
Sacratum Rodomontem
Heroa resonas tuba?
Ecce autem vt veniens te quoque reddidit
Aetas firma virum, nunc alius tibi
Rerum nascitur ordo,
Nec mens quae fuerat manet.

Aeternis Sophiæ tactus amoribus,
Musarum illecebris parcere destinas,
Actæúmque Lycæum
Mutas Aonia specu.
Macte hoc ingenio: non tibi maximi
Opportuna deest gratia principis,
Nec quemcunque capesses
Incassum labor effluet.
Huic blandi officio carminis vnicè
Iam tum carus eras, cùm nequedũ vllius
Sceptra insignia Regni
Augusta gereret manu.
Nec tanti auspicio Herois ad exteros
Te vatem piguit pergere Sarmatas
Incultámque superbæ
Gentis barbariem pati.
Longi ille obsequij nunc adeò memor
Vnum te meritò diligit, vnius
In sermone quiescens
Sacris te alloquiis beat.
Terrarum domino sic sua Cæsari
Virtus Virgilium conciliat, neque
Sacro iunctior alter
Hærebat lateri comes.

Ad Claudium Pelgeïum

TE procul à patriæ dilectis mœnibus vrbis
 Aula vagum prius vna tenebat:
Nūc præbet placidas populosa Lutetia sedes,
 Nobilium domus inclita vatum:
Hîc vbi Pieriis notissima nomina siluis
 Portæúsque, patérque Baïfus,
Bertaldus, Perróque sui flos aureus æui,
 Musarum mysteria tractant.
Vos, qua nulla patet pedibus via trita profanis,
 Per Sophiæ florentia regna
Itis, & arcanos rerum perquiritis ortus,
 Naturamque reuoluitis omnem.
Quis non sollicitos toto de pectore amores
 Hæc inter solatia pellat?
Tu tamen indefessus amas (quis credere possit?)
 Et patrij dulcissima Clani
Litora dum subeunt, dominæque absentis imago
 Multa oculis, animóque recursat,
Omnia tunc tacitis turbantur gaudia curis,
 Tunc solito furit igne Cupido.
Quid faceres? hac lege hominum gens exit in auras,
 Vt Chalybum nisi cincta metallo

Corda geras, te vincat Amor, qui cætera vincit
Cæli aura quæcunque fruuntur
Præsertim egregiis quoties ornata puella
Dotibus hæc incendia miscet.
Qualis ea est, tua quæ iamdudum pectora adurit,
Digna æternos vrere diuos,
Nutrita Aoniis in montibus, altera Sappho,
Lesbia si modò casta fuisset.
Vix ea formosæ fuerat præstantia Lauræ,
Et tamen hanc pius ille poëta
Intactam coluit multòs Petrarcha per annos,
Et cantu super æthera vexit.
Non illum ingenuæ, quas intentißimus artes
Cura omni studióque colebat,
Primus & à longa reuocabat nocte sepultas,
A dulci auertêre furore.
Ah quoties dominæ infelix post fata superstes
Ingemuit, cælúmque perosus
Inuisam optauit cum luctu abrumpere vitam!
Ille etiam manésque ciebat
Carminibus querulis, & nunquam oblitus amorum,
Quà Rhodanus fragrantia latè
Rura secat, Ligurúmque cito pede currit in æquor,
Multa leues iactabat ad auras.
Tu quoque, cui faciles pandunt sua sacra Camœnæ,
Cui rerum cognoscere caussas,
Et varios terræ tractus, & sidera cæli

Diui concessere fauentes,
Non ideò speres conceptam extinguere flammam.
Si quis enim est qui mente sagaci
Præditus indoctæ fugiat vestigia plebis,
Hac demum Deus hospite gaudet.

Ad Lodoicum Sammarthanum fratrem.

DVM turbulento conspicuus foro
Pericle dignis vocibus intonas,
Mirante Pictorum Senatu
In media senium iuuenta,
Lusúque honesto seria temperans
Lectæ puellæ suauibus interim
Hæres labellis, quæ beatos
Assyriæ cumulant odores,
Me nota amœnæ rura Beociæ
Tenent canentem carmina, quæ Dryas
Mirata saltu de propinquo
Blandisonis iterat susurris.
Non acta regis fortia, regij
Non acta fratris, Tyndaridæ quibus
Cessere fratres, apta nostræ
Materies veniunt Camœnæ.
Hac Mantuana commemorent tuba

Maiore quorum pectus inæstuat
Furore, conceptúmque numen
Intus agit meliore flamma.
Minuto inaudax pectine libera
Nunc viua canto, nunc nimium diu
Absentis optatos Neæræ,
Qui mihi me eripiunt, ocellos.
Beatus ille est, numina quem sinunt
Miscere curis gaudia tristibus,
Dulces & imprimis amores
Mente sequi haud nimium seuera.
Nunc vanitati gens hominum studet,
Soláque honesti gaudet imagine:
Quoduis scelus patrare tutum est,
Dum tetricum simules Catonem.
At nuda nostros simplicitas auos
Magis iuuabat, nec leuibus iocis
Nefas putabant dura acerbæ
Tædia sæpe leuare vitæ.
Nec furta, cædésue interea, aut doli,
Quæque hoc nefando plurima seculo
Immania emersere monstra,
Tunc placidas tenuere terras.
Sed pura vitæ fallere nesciæ
Lucebat omni tempore castitas,
Fidésque, candórque, & profanis
Relligio temerata bellis.

Quid? ille cuius diuite de penu
Fatentur omnes se sapientiæ
Præcepta deprompsisse, magnus
Nónne Plato teneros amores
Secutus olim est? neu sua posteri
Non facta nossent, ipse perennibus
Intexuit chartis iocosa
Ingenuæ monumenta flammæ.
Et nos inanis sepositi procul
Errore turbæ, tam celebris viri
Vestigiis, Natura pollens
Quò vocat ac Genius, sequamur.

Ad Stephanum Pascasium.



ONTRAHES *paucis epigrāma verbis*
Docte Pascaßi, neque te Catullus,
Bilbilis nec te soboles faceto
Carmine vincet.
Ipse, ne vires teneri pusillas
Ingenij gyro breuiore clausus
Comprimam, laxis feror huc & illuc
Liber habenis.
Debilis primo ac trepidans, sed ipso
Excitor paulatim agilis volatu,
Mißilis vires veluti sagitta ac-
quirit eundo.

Quid iuuat vili studio calentes
Fraude collectis inhiare nummis?
Quid magistratus speciosa prosunt
Nomina fasces?
Ista linquentur simul hinc migrare
Iusserit nullo docilis moueri
Cæca mors rerum pretio, neque vllis
Aequa triumphis.
Docta sed sacro quibus ora fonte
Musa Hyanteis rigat in viretis,
Quà nemus lauri placidum beatos
Afflat odores,
His manet muto cineri superstes
Fama, quæ æternis hominum subinde
Plausibus puro recreat receptas
Aethere mentes.
Fallor? an summas vbi fata metas
Clauserint, ambos quoque nos perennis
Aureo curru super alta rumor
Sidera tollet?
Te quidem lauro celebrem, foróque,
Magne Pascasi, celebrabit ingens
Orbis à Peuce viridi ad superbas
Hercule Gades.
Sed neque obscurus veluti latebo
Fossor aut cerdo, sua quem iacentem
Vix videt præsens, penitus futura
Nesciet ætas.

Ipse iam Clanus pater, ipsa Clani
Quæ colit ripas leuium decora
Turba Nympharum me a scripta glaucis
Cantat in antris.

Ad Nicolaum Sudorium.

PRÆSES *togatæ militiæ decus,*
Quo doctiorem non alium mihi
Videre Pimplæis in antris
Contigit à puero sodalem.
Ecquid lubenter nunc subit illius
Felicis æui, dulcibus optimas
Cùm sæpe luces, sæpe noctes
Fallimus in studiis Sororum?
Verùm fugacis prima vbi tempora
Fluxere vitæ, & sollicitudinum,
Maturior quas ducit ætas,
Turba frequens animos adorta est:
Vt quemque certis rebus idoneum
Natura fati præscia finxerat,
Mox Aonum saltu relicto,
Mentem aliæ subiere curæ.
Nec vna nobis voluitur orbita:
Te iura Gallis reddere, me iuuas
Aerarium nostri tueri

Principis, hoc similes in vno,
Quòd non inerti pectore patriam
Iuuare pro se quisque fideliter
Conamur: at me dignitate
Muneris exuperas minorem.
Sic fulgidorum copia luminum
Cùm noctis vmbras discutit, omnibus
Non vna vis stellis, sed vnum
Omnibus officium est micandi.
Nunc me, fauebat qui puero, videt
Toruo relictus lumine Cynthius,
Et eruditis insolentes
Auribus apta negant Camœnæ.
Quid, quòd molestis litibus atteror?
Notis & ausum credere se viis
Negotiorum vorticosæ
Abripiunt Genium procellæ?
Vt oblatrantum feruida vis canum
Ceruam innocentem non sinit auitis
Regnare lustris, quæ benigna
Sors habitare dedit latenti,
Sic me immerentem morsibus inuidis
Canina rauci monstra petunt fori,
Si quà (dij auertatis omen)
Ruribus eiiciant auitis.
Nec ipse dentes abstinet impios
Quo spes in vno nostra fuit sita,

Et quem mihi casus in omnes
Præsidium fore pollicebar.
Qui se (ne fandum) sanguine dum meo
Cruentat atrox, hoc dolet vnicè
Quòd lacrymem læsus nec istos
Dißimulem tacitus dolores.
Tam durus olim non Phalaris fuit,
Mugire clausos nec vetuit, cauo
Quos ære subiectis cremabat
Ignibus, exitiale monstrum.
At tu (quietam sic tibi mitia
Dent fata vitam) quando tibi suas
Conceßit artes illa, terras
Vltima quæ Superûm reliquit,
Ades Senator maxime, & à malis
Vetustum amicum fraudibus exime,
Neu litium mergi profundo
Me patiare tuum sub orco.
Sic sortem iniquam Cecropij ducis
Ferens iniquè, non sine gloria
Inuictus Alcides amicum
Asseruit Stygiis ab vndis.

DEO.



Qui stelliferis orbibus insidens
Humana arbitrio facta regis tuo,
Rerum magne opifex, triste gementibus
Te nunc vocibus inuoco.
Hinc moles grauium sollicitudinum,
Hinc morbi effera vis cedere nescij
Miris excruciat me miserum modis
Et nocte & vigilem die.
At tu sancte parens (nam tibi debita
Castè sacra fero, te veneror Deûm)
Languenti fer opem, & rebus in asperis
Da constantem animum mihi.
Non me lucis amor sollicitum tenet,
Inter tot dubiæ tristia tædia
Vitæ, nec renuo funera, nec moror
Extremam tumuli vicem.
Sed me admissa mouent crimina, dum subit
A recto quoties tramite deuium
Peccati in laqueos me pede lubrico
Error præcipitem dedit.
Nec spes vlla, animum tu nisi recreas,
Ostendisque viam, qua melioribus
Insistam auspiciis, & patrij poli

Sublimes repetam domos.
O si me ætheriis ciuibus additum
Admittas superæ in limina Regiæ,
Oblitúsque hominem, sidereum tui
Vultus aspiciam iubar,
Quid me Vno poterit esse beatius?
Quas nõ delicias, quas ego non opes,
Et regum titulos, & diademata
Celso pectore respuam?
Tunc præsente calens numine gratias
Exoluam meritas, atque Volubilis
Ad cæli numeros Aeolio tibi
Laudes pectine concinam.

Ad Renatum fratrem Archidiaconum Pictauien.



R G O *quieto redditus otio*
Amore Phœbi totus inæstuas,
Durique susceptam Gradiui
Transfuga militiam relinquis?
Non hoc iuuentæ Viuida Vis tuæ,
Omnémque firmum pectus ad aleam
Sperare nos de te iubebat:
Sed fore qui Veteres auorum
Laudes referret, nomen & inclytum

Rubri

Rubri quod olim litoribus freti,
Et pabulosæ notum Idumæ
Palmiferi sonuere colles.
Quod nec taceret Gallia fortium
Mater virorum, semiuiri nisi
Iam Marte neglecto nepotes
Pieriis lateant sub antris,
Fortasse iustis huc rationibus
Impulsi auorum temporibus sua
Dum conferentes nulla priscæ
Signa vident superesse laudis.
Nam disciplinæ gloria bellicæ
Tota exoleuit: imperio ducum
Audire nunc præceps recusat
In scelerum genus omne miles.
Non ille sæuis audeat hostibus,
Cùm publica id res postulat, obuiam
Se ferre, pro veráque pulcram
Laude necem impauidè pacisci.
Laus vna rapto viuere, mollibus
Parentum ab vlnis vellere virgines,
Sæuire in imbellem, & nefando
Iura Deûm violare ferro.
Hoc si esset vsus milite, nobiles
Dum captat olim Cæsar adoreas,
Aut ille qui patris Philippi
Gesta nouo superauit ausu:

L

Non magni habenas susciperet soli,
Quæque orbis ingens nomina prædicat,
Ignota vili cum popello
Cimmeriis premerentur vmbris.
Tu si latronum dux fugis eligi,
Tuóque damno crimina non tua
Plecti recusas integellus
Vitæ adeò meritæque famæ,
Iam laudo factum, perge modò, & piis
Precare cœptis prospera sidera,
Vt cuius auctores fuere
Consilium superi secundent.
Vita fruentem cælibe virgines
Amant Camœnæ: cernis vt Aonum
Iam se tibi pandant profano
Culmina non superanda vulgo?

Ad Regem HENRICVM III. ex Gallico Catharinæ Rupeæ PROTREPTICON.



IGNIS *lætus honoribus,*
Quos à gentibus exteris
Tulisti, optime Principum,
Reuisis patrios lares

Ipso in flore iuuentæ.
Nunc & imperium exterum
Auito imperio iuuat
Mutare, & populos rudes
Gallorum populis, quibus
Nil politius vsquam est.
Festis vndique plausibus
Ciues te excipiunt tui:
Sunt qui munera porrigant,
At certè hoc animo, datis
Vt maiora rependas.
Qui sic dat, nihil ille dat,
Dúmque aurum tibi callidè,
Dum gemmas rutillas ferunt
Isti, vendere veriùs
Quàm donare videntur.
Munus munere ni luas,
Habendi sitis impotens
Hos à te procul exiget.
At tibi ipsa quod offero
Gratum sit modò munus,
Gloriosum erit & mihi,
Nostrísque vtile ciuibus.
Maiestas etenim tua
Instar eminet ardui
Claro in lumine templi,
A quo mirificum petat

Exemplum tua gens, tuæ
Ad virtutis imaginem,
Cuius rebus in omnibus
Dehinc vestigia seruet.
Vt rebellia frangeret
Angli militis agmina
Magni rex quoque nominis
Olim non renuit sequi
Vilis dicta puellæ.
Nunc ergo & mihi virgini
Quod virtus tua suggerit
Lubens accipe: perfidos
Hinc hostes tibi vincere
Sic fortasse licebit.
Præclara vt documenta des
Christianæ animæ, Deum
Antiquis cole ritibus,
Huius morigerum sacris
Da te legibus vltro.
Huic te criminis exhibe
Purum, huic labe carens dato
Mens pro thure sit hostia.
Quippe & in Domini manu
Regum est ipsa potestas.
Tu iunctos tibi sanguine
Rebus præfice maximis:
At negotia si qua sint

Momentosa, fidelibus
Illa trade ministris.
Regem hæc præcipuè decent,
Virtutes cumulis opum,
Donis consilia optima,
Modestámque libidini
Anteponeré mentem.
Tum prudentia quos gerit
Recto lumine limpidos
Obseruare oculos, quibus
Quod fuit, quod erit, quod est
Visu cernitur vno.
Ad recti studium ferè
Priuatos homines agunt
Legum terrificæ minæ,
Aut honesta docentium
Blandimenta sophorum.
Huc & aspera patruæ
Linguæ verbera conferunt:
Amici monitis iuuant,
Et qui crimina detegunt
Probris turpibus hostes.
At, ô gloria Principum,
Tu diuinitus insitæ
Mentis munere præditus,
Tu legum imperiis potens
Tibi sufficis vnus.

Te non præterit optimi
Esse munera principis
Cultu iustitiam suo
Prosequi, & miserum à malis
Vindicare popellum,
Indulgere bonis, malos
Armis plectere, patrios
Latè extendere limites,
Hæc sunt nobilium quibus
Stat potentia Regum.
Tu mollis nisi virginis
Fastidis tenues modos,
Illa spero dies erit
Cùm tuas grauioribus
Laudes cantibus æquem.
Tunc & vndique leniter
Se trahentis ad herbida
Clani litora candidæ
Pictonum tibi concinent
Mille carmina Nymphæ.

Ad Iacobum Dauidium Perronem, Cardinalem ampliss.

TE finxit Natura parens, doctißime Præsul,
Omnia Mercurio similem.
Cumque paris linguæ cœlestia dona dedisset
Qua fluuios ventosque tenes:
Cum mentem ætheriam, qua ceu talaribus auras
Findis & astra super veheris,
Pro virga, Stygiis quæ sedibus euocet vmbras,
Doctrinam, geniúmque dedit,
Quo pius erranteis animas à nocte profunda
Eripis ad superosque trahis.
Nec tantùm ignaui tibi cedunt vilia vulgi
Nomina, degeneresque animæ:
Ipsi etiam inuicti, Maruotia pectora, Reges
Non renuunt te sponte sequi.
Mirum igitur si magnanimi te prouida cura
Principis elegit talem?
Mœnia qui Romæ magnis de rebus adires
(Sic quoque Mercurium referens)
Sacrorumque Patrem, vasto qui præsidet Orbi,
Mulceres dulci alloquio?
Tu modò ab hoc pacem exora, patriámque reuise
Tot miserè afflictam ærumnis,


Aduentuque tuo recrea, ceu sidus amicum
Turbato latè pelago,
Quod simul aspiciunt læti post nubila nautæ
Mœrorem ponunt animis,
Felicemque viam tranquillas deinde per vndas
Numine pacato peragunt.

Ad Nicolaum Rapinum Pictonem.

MARTIA *inter agmina*
Iā frigidū æui quis ferat poëtā
Tot, Rapine, cantibus
Obtundère aures? Tu vetuste amice,
Quem suo bona in sinu
Minerua fouit, forsan hunc laborem
Non iniquus æstimes.
Quemcumque certè lumine haud maligno
Musa nascentem videt,
Vix est vt illum quamlibet senentem
Cura dulcis deserat.
Non ille pluris fecerit potentum
Sceptra Regum gemmea,
Non quicquid auri vel Mydas habebat,
Impigri vel Astures

Laboriosis eruunt fodinis.
Quid quod & vatum pij
Iuuant labores publicóque prosunt,
Facta dum virûm ardua
Obliuioso vindicant ab æuo?
Ipse ego tam feruidum
Scribendi amorem, quo subinde flagro,
Eripi nolim mihi,
Ne fortè desim muneri, superba
Colla dum hostium terit
HENRICVS *ardens, tótque nos triumphis*
Ad suas laudes trahit.
Me pelle ad orbis vltimos recessus,
Quáque surgentem diem
Indi salutant solibus perusti,
Quáque desertus gelu
Neptunus vnctis nec patet carinis,
Debitam Regi fidem
Memor tenebo, vita dum manebit.

Ex Areosto.



NIMIVM *simplex, auido quæ credis amanti,*
Dum sancta iurat numina!
Nulla in amore fides, & amans dum fallit amantem

Periuriis gaudet suis.
Præcipue prima vernant quibus ora iuuentæ
Caue puella fidere.
Quā citò qui leuibus stipulis accenditur ignis,
Pereunte pabulo perit:
Tam citò deficiunt iuuenili in corde calores,
Euanidique transeunt.
Venator cupidus ventos patietur & imbres,
Optata si fugit fera:
Inciderit semel in casses, hanc negliget idem,
Nec persequetur amplius.
Sic virgo dum intacta manet, dum pectore duro est,
Hanc impotenter sedulus
Ambit amans: idem rigida cessante repulsa
Potitus illam respuet.
Non tamen ô teneræ vobis, nō proinde puellæ
Cauendus omnis est amor.
Nam veluti nullo foditur quæ vomere tellus
Sub veris aduentum noui,
Nullo flore decens, nullis nitet vtilis herbis,
Sed squalet ingrato situ.
Sic mulier nullos experta Cupidinis ignes
Aetatem inertem transigit.
Tu modò ne iuuenum incerto capiaris amore
Quæcunque consulis tibi.
Nam cæco ætatis male-sanæ deperit æstu
In amore si qua est suauitas.

Nónne vides crudá quos vellis ab arbore fœtus
Acerbitatem vt afferant,
At quæ cocta suo mitescunt tempore poma
Lenes palato dent cibos?

Epicedium.



ASSANDRA *flos & gloria virginum.*
Quascunque tellus Iulia protulit,
Ten' pubere intactam sub æuo
Crúda nimis rapuere fata?
Te mille certatim ambierant proci
Formæ potentis munere nobilem,
Sed Orcus, eheu! destinabat
Ipse sibi hunc cupidus decorem.
At inter vmbras forma quid attinet?
Nullus colorum Manibus est honos,
Omnes simul nigris teguntur
Noctibus & fugiunt videri.
Certè inuidorum est hoc facinus Deûm,
Vt quisque vita dignior, ocyùs
Hunc auferunt, ne quà perennes
Gens hominum mereatur annos.

Ad C. Nodanum.

QVOD *natale ſolum Macrino vate tumebat,*
Idem mihi ortum præbuit.
Quà Cereris fœcundus ager tibi, maxime Cæſar,
Fundata cingit mœnia,
Mœnia quæ lætos quondam fouere colonos,
Dum blanda ridebat quies.
At poſtquam euerſis belli vis impia muris
Prædonibus fecit viam,
Mox alios alióſque ſibi legêre penates
Quicunque triſtis patriæ
Cernere deformes non ſuſtinuere ruinas
Horrenda belli inſignia.
Sic olim euerſæ poſt vltima tempora Troiæ
Mœſti migrabant exules.
At mihi Pictonidum placidas ante omnia ſedes
Amica præſtat ciuitas.
Illa olim primo puerum ſuſcepit ab æuo
Tecum Nodane dulcibus
Addictum Muſis, tibi quæ ſua dona ferebant
Larga beata dextera.
Illa virum, illa ſenem longos ſibi ſeruet in annos.

O grande Pictonum decus,
Vrbs opibus populóque potens, pietatis alumna,
Celebris Astrææ domus,
Grata bonis statio Musis, arx tuta Gradiui,
Puro salubris aëre,
Nobilis, ampla, frequens, spatiosis læta viretis,
Templis superbis ardua,
Pande mihi bona, pande sinum, méque accipe ciuem:
Tu, luce dum datur frui,
Da faciles æui cursus, tu lumine cassum
Leui tege æternùm solo.

FINIS LYRICORVM.





SYLVARVM
LIBRI III.



SCAEVOLAE SAMMARTHANI SYLVARVM.

Liber primus.

In Reditum HENRICI Galliæ & Poloniæ Regis.



TV quicunque auidum veræ virtutis amorem
Concipis, abiectique fugis vestigia vulgi
Arduus, & patrio reditum moliris Olympo,
Mollia ne speres tranquillæ tempora vitæ,
Nec facilem rerum tibi pollliceare tenorem.
Nam quod & immeritis fortuna benignior vltrò,
Largaq; munifici dabit indulgentia cæli,
Millæ per hoc casus tibi erit, per mille labores
Quærendum, fortíque animo toleranda Deorum
Inuidia, & duri superanda iniuria fati.

Vsque adeò certus virtutis in omnia sudor
Est comes, ignauásque fouent blanda ocia mentes.
Quam nisi fixissent mundo fatalia legem
Stamina, pro meritis sors si foret omnibus æqua,
Non te detineant alio sub sidere longæ
Interualla viæ, ignotique incommoda cæli,
Diuulsum dulci à patria, aspectúque tuorum,
O decus HENRICE *imperij quem debita nostri*
Sceptra vocant, poscúntque suo sibi tempore regem.
At non præteritos, quoscunque prioribus annis
Ordine perpetuo venerata est Gallia reges
Vexauit simili fortuna indigna tumultu.
Vsque nec à prima nascentis origine regni
Contigit, vt rectore suo ratis antè careret
Gallica: quin simul ac rapido fera turbine Parca
Deiecit sublimi aliquem de puppe sedentem,
Protinus emicuit, qui nantis in æquore classis
Debitus acceptas regeret successor habenas.
Ac velut Arctoï longe trans litora ponti,
Vltima semotos quà porrigit insula tractus,
Esse plagam fama est, certis quæ mensibus anni
Nunquam Sole caret, sed ab vna parte cadentem
Dum videt, exalia paulatim albescere notos
Nascentis radios, & primula lumina cernit.
Sic nunquam antè suum Mauortia Gallia regem
Visa fuit sensisse mori vix occidit vnus,
Cum subitò exortus, qui nubila pelleret, alter,

Grataque

Gratáque sedato repararet gaudia luctu.
Tu solus, sceptris quo nullus dignior vnquam
Extitit inuersásque vices, mutatáque sentis
Fata patrum, solióque diu prohiberis auito.
Quid faceres? non te propria sat sorte beatum,
Quem magni in partem regni fraterna vocabat
Gratia, quem socium summis in rebus habebat,
Ambitio leuis, aut regnandi vana libido
Abstulit hinc, notam iussítque relinquere terram.
Sed tua, quæ factis celsum feriebat Olympum
Fama, tot à tenera partos ætate triumphos,
Tot captas memorans vrbes, tot missa sub Orcum
Agmina, quæsitámque armis te vindice pacem,
Impulit extremo gentes ex orbe remotas
Vsque à Sarmatico glacialis litore ponti
Te petere, & cupidis dominum sibi poscere votis.
Vix bene contigeras oblati limina regni,
Cùm medios inter plausus, & publica gentis
Gaudia, certatim tibi quæ omnis sexus & ætas
Promit, & auditis longè maiora tuendo,
Miratúrque libens, conceptúmque auget amorem;
Nuncius ecce tibi patria lugubris ab ora
Aduolat, immiti fratrem qui funere mersum
Nunciet, atque noua dominum te voce salutet.
Addit & impexis truculentam errare capillis
Perque feras Bellonam vrbeis, perque horrida passim
Arua, auidísque animis dirum inspirare venenum.

Exemplum tua gens, tuæ
Ad virtutis imaginem,
Cuius rebus in omnibus
Dehinc vestigia seruet.
Vt rebellia frangeret
Angli militis agmina
Magni rex quoque nominis
Olim non renuit sequi
Vilis dicta puellæ.
Nunc ergo & mihi virgini
Quod virtus tua suggerit
Lubens accipe: perfidos
Hinc hostes tibi vincere
Sic fortasse licebit.
Præclara vt documenta des
Christianæ animæ, Deum
Antiquis cole ritibus,
Huius morigerum sacris
Da te legibus vltro.
Huic te criminis exhibe
Purum, huic labe carens dato
Mens pro thure sit hostia.
Quippe & in Domini manu
Regum est ipsa potestas.
Tu iunctos tibi sanguine
Rebus præfice maximis:
At negotia si qua sint

Momentosa, fidelibus
Illa trade ministris.
Regem hæc præcipuè decent,
Virtutes cumulis opum,
Donis consilia optima,
Modestámque libidini
Anteponere mentem.
Tum prudentia quos gerit
Recto lumine limpidos
Obseruare oculos, quibus
Quod fuit, quod erit, quod est
Visu cernitur vno.
Ad recti studium ferè
Priuatos homines agunt
Legum terrificæ minæ,
Aut honesta docentium
Blandimenta sophorum.
Huc & aspera patruæ
Linguæ verbera conferunt:
Amici monitis iuuant,
Et qui crimina detegunt
Probris turpibus hostes.
At, ô gloria Principum,
Tu diuinitus insitæ
Mentis munere præditus,
Tu legum imperiis potens
Tibi sufficis vnus.

Te non præterit optimi
Esse munera principis
Cultu iustitiam suo
Prosequi, & miserum à malis
Vindicare popellum,
Indulgere bonis, malos
Armis plectere, patrios
Latè extendere limites,
Hæc sunt nobilium quibus
Stat potentia Regum.
Tu mollis nisi virginis
Fastidis tenues modos,
Illa spero dies erit
Cùm tuas grauioribus
Laudes cantibus æquem.
Tunc & vndique leniter
Se trahentis ad herbida
Clani litora candidæ
Pictonum tibi concinent
Mille carmina Nymphæ.

Ad Iacobum Dauidium Perronem, Cardinalem ampliss.

TE finxit Natura parens, doctißime Præsul,
Omnia Mercurio similem.
Cumque paris linguæ cœlestia dona dedisset
Qua fluuios ventosque tenes:
Cum mentem ætheriam, qua ceu talaribus auras
Findis & astra super veheris,
Pro virga, Stygiis quæ sedibus euocet vmbras,
Doctrinam, geniúmque dedit,
Quo pius erranteis animas à nocte profunda
Eripis ad superosque trahis.
Nec tantùm ignaui tibi cedunt vilia vulgi
Nomina, degeneresque animæ:
Ipsi etiam inuicti, Maruotia pectora, Reges
Non renuunt te sponte sequi.
Mirum igitur si magnanimi te prouida cura
Principis elegit talem?
Mœnia qui Romæ magnis de rebus adires
(Sic quoque Mercurium referens)
Sacrorumque Patrem, vasto qui præsidet Orbi,
Mulceres dulci alloquio?
Tu modò ab hoc pacem exora, patriámque reuise
Tot miserè afflictam ærumnis,

Aduentuque tuo recrea, ceu sidus amicum
Turbato latè pelago,
Quod simul aspiciunt læti post nubila nautæ
Mœrorem ponunt animis,
Felicemque viam tranquillas deinde per vndas
Numine pacato peragunt.

Ad Nicolaum Rapinum Pictonem.

M ARTIA *inter agmina*
Iā frigidū æui quis ferat poëtā
Tot, Rapine, cantibus
Obtundere aures? Tu vetuste amice,
Quem suo bona in sinu
Minerua fouit, forsan hunc laborem
Non iniquus æstimes.
Quemcumque certè lumine haud maligno
Musa nascentem videt,
Vix est vt illum quamlibet senentem
Cura dulcis deserat.
Non ille pluris fecerit potentum
Sceptra Regum gemmea,
Non quicquid auri vel Mydas habebat,
Impigri vel Astures

Laboriosis eruunt fodinis.
Quid quod & vatum pij
Iuuant labores publicóque prosunt,
Facta dum virûm ardua
Obliuioso vindicant ab æuo?
Ipse ego tam feruidum
Scribendi amorem, quo subinde flagro,
Eripi nolim mihi,
Ne fortè desim muneri, superba
Colla dum hostium terit
HENRICVS ardens, tótque nos triumphis
Ad suas laudes trahit.
Me pelle ad orbis vltimos recessus,
Quáque surgentem diem
Indi salutant solibus perusti,
Quáque desertus gelu
Neptunus vnctis nec patet carinis,
Debitam Regi fidem
Memor tenebo, vita dum manebit.

Ex Areosto.



O NIMIVM *simplex, auido quæ credis amanti,*
Dum sancta iurat numina!
Nulla in amore fides, & amans dum fallit amantem

Nónne vides cruda quos vellis ab arbore fœtus
Acerbitatem vt afferant,
At quæ cocta suo mitescunt tempore poma
Lenes palato dent cibos?

Epicedium.



ASSANDRA *flos & gloria virginum*
Quascunque tellus Iulia protulit,
Ten' pubere intactam sub æuo
Cruda nimis rapuere fata?
Te mille certatim ambierant proci
Formæ potentis munere nobilem,
Sed Orcus, eheu! destinabat
Ipse sibi hunc cupidus decorem.
At inter vmbras forma quid attinet?
Nullus colorum Manibus est honos,
Omnes simul nigris teguntur
Noctibus & fugiunt videri.
Certè inuidorum est hoc facinus Deûm,
Vt quisque vita dignior, ocyùs
Hunc auferunt, ne quà perennes
Gens hominum mereatur annos.

O grande Pictonum decus,
Vrbs opibus populóque potens, pietatis alumna,
Celebris Astrææ domus,
Grata bonis statio Musis, arx tuta Gradiui,
Puro salubris aëre,
Nobilis, ampla, frequens, spatiosis læta viretis,
Templis superbis ardua,
Pande mihi bona, pande sinum, méque accipe ciuem:
Tu, luce dum datur frui,
Da faciles æui cursus, tu lumine cassum
Leui tege æternùm solo.

FINIS LYRICORVM.





SYLVARVM
LIBRI III.



SCAEVOLAE SAMMARTHANI SYLVARVM.

Liber primus.

In Reditum HENRICI Galliæ & Poloniæ Regis.



TV quicunque auidum veræ virtutis amorem
Concipis, abiectíque fugis vestigia vulgi
Arduus, & patrio reditum moliris Olympo,
Mollia ne speres tranquillæ tempora vitæ,
Nec facilem rerum tibi pollicere tenorem.
Nam quod & immeritis fortuna benignior vltrò,
Largaq; munifici dabit indulgentia cæli,
Millæ per hoc casus tibi erit, per mille labores
Quærendum, fortíque animo toleranda Deorum
Inuidia, & duri superanda iniuria fati.

Vsque adeò certus virtutis in omnia sudor
Est comes, ignauásque fouent blanda ocia mentes.
Quam nisi fixissent mundo fatalia legem
Stamina, pro meritis sors si foret omnibus æqua,
Non te detineant alio sub sidere longæ
Interualla viæ, ignotique incommoda cæli,
Diuulsum dulci à patria, aspectúque tuorum,
O decus HENRICE *imperij quem debita nostri*
Sceptra vocant, poscúntque suo sibi tempore regem.
At non præteritos, quoscunque prioribus annis
Ordine perpetuo venerata est Gallia reges
Vexauit simili fortuna indigna tumultu.
Vsque nec à prima nascentis origine regni
Contigit, vt rectore suo ratis antè careret
Gallica: quin simul ac rapido fera turbine Parca
Deiecit sublimi aliquem de puppe sedentem,
Protinus emicuit, qui nantis in æquore classis
Debitus acceptas regeret successor habenas.
Ac velut Arctoï longè trans litora ponti,
Vltima semotos quà porrigit insula tractus,
Esse plagam fama est, certis quæ mensibus anni
Nunquam Sole caret, sed ab vna parte cadentem
Dum videt, exalta paulatim albe cere notos
Nascentis radios, & primula lumina cernit.
Sic nunquam antè suum Mauortia Gallia regem
Visa fuit sensisse mori vix occidit vnus,
Cum subitò exortus, qui nubila pelleret, alter,

Gratáque

Gratáque sedato repararet gaudia luctu.
Tu solus, sceptris quo nullus dignior vnquam
Extitit inuersásque vices, mutatáque sentis
Fata patrum, solióque diu prohiberis auito.
Quid faceres? non te propria sat sorte beatum,
Quem magni in partem regni fraterna vocabat
Gratia, quem socium summis in rebus habebat,
Ambitio leuis, aut regnandi vana libido
Abstulit hinc, notam iußítque relinquere terram.
Sed tua, quæ factis celsum feriebat Olympum
Fama, tot à tenera partos ætate triumphos,
Tot captas memorans vrbes, tot missa sub Orcum
Agmina, quæsitámque armis te vindice pacem,
Impulit extremo gentes ex orbe remotas
Vsque à Sarmatico glacialis litore ponti
Te petere, & cupidis dominum sibi poscere votis.
Vix bene contigeras oblati limina regni,
Cùm medios inter plausus, & publica gentis
Gaudia, certatim tibi quæ omnis sexus & ætas
Promit, & auditis longè maiora tuendo,
Miratúrque libens, conceptúmque auget amorem,
Nuncius ecce tibi patria lugubris ab ora
Aduolat, immiti fratrem qui funere mersum
Nunciet, atque noua dominum te voce salutet.
Addit & impexis truculentam errare capillis
Perque feras Bellonam vrbeis, perque horrida paßim
Arua, auidísque animis dirum inspirare venenum.

Quis tibi tunc, pie Rex, generoso in pectore sensus,
Cùm pendentem animi, tanto in discrimine rerum
Vrgeret patriæ te suspirantis imago?
Nempe licet firmo te blanda Polonia nexu
Stringat, & auelli iucundo regis amati
Amplexu neget, auspiciis tamen atque Deorum
Numine, qui maiora vocant te ad pondera rerum,
Stat reuocare gradum, patriasque reuisere sedeis.
Sic pius Æneas regni melioris amore
Sidonias arces, ægramque relinquit Elisam,
Et dulce in Latium, promissáque peruenit arua.
Sed desiderium gentis miseratus amicæ,
Consilium, mentémq; tegis, tacitúmque quieta
Nocte capessis iter, dubiæ te credis & vmbræ.
Æterni cælorum ignes, túque aurea Phœbe,
Cuius adoptiuum nocturno tempore lumen
(Quà licet) exactæ reparat dispendia lucis,
Este boni, & vobis immensi nobile mundi
Depositum seruate decus, dum debita quærit
Imperia, afflictísque venit succurrere Gallis.
Interea, qualis vacua Minois in acta,
Mane nouo, vt primùm lento experrecta sopore
Sensit abesse sui pulcerrima principis ora,
Nec spes optato iam pascere lumina vultu,
Flebilis, incomptósque diu resoluta capillos,
Et mæsto absentis miserè deperdita luctu
Dicitur hos cælo misisse Polonia questus,

O quis te nostris oculis, carissime princeps,
Abstulit, atque nouis turbauit gaudia curis?
Ergo ego, sublimi quæ vertice nuper adibam
Sidera, nec Scythicas HENRICO *principe turmas*
Sæua nec Herculei metuebam tela Geloni,
Nunc subito absentem queror externata dolore!
At non hoc Superi miseram sperare iubebant,
Cùm longum permensus iter, patrio orbe relicto,
Scilicet immodico nostri correptus amore
Me petis, & cupidis cupidam complecteris vlnis,
Sed fore perpetuum hoc ventura in tempora fœdus.
Quæ noua nunc primam vertit sententia mentem?
Méne fugis? nunquam hoc, nunquam mihi credere de te
Fas fuerit, mihi nota fides, mihi nota voluntas,
Nec rabidæ Tigres infantem lacte ferino
Te sub Causeis enutriuere cauernis,
Nec nisi te tua fata trahant, monitúsque Deorum,
Sustineas accepta oculos auertere terra.
Saltem viue memor, neu curam desere nostri,
Absentémque absens (te quando carere necesse est)
Auspiciis tutare tuis, & numine firma.
Certe ego (quæ me cunque manet fortuna) manebo
Fida tibi: non vllo alius mihi tempore princeps
Iura dabit: non si solio pater ipse relicto
Me velit, & superis mutet Saturnius astris.
Sic ait: accurrunt querulæ ad lamenta sorores
Russia, Massouia, & flauente Podolia crine,

Et Dryadum intonsis Lituania cincta coronis,
Prussiáque, & Graium cui dat vetus insula nomen,
Femineóque omnes pertundunt pectora planctu.
HENRICVM *totis formosus Vistula ripis,*
HENRICVM *saltus,* HENRICVM *tristia latè*
Rura sonant, resonátque cauis e vallibus Echo.
Ille viam vorat, & mox Cæsaris vsus amici
Hospitio Italiam, cognatáque tendit in arua.
Excipit ingenti Venetûm studiosa paratu
Vrbs superi Regina maris, quæ diuite sumptu
Aerias arces mediis attollit in vndis.
Iungunt se Ausonij proceres, blandísque volentem
Pro se quisque iuuant studiis, certántque merendo:
Iactatúmque diu, longísque laboribus ægrum
Imponunt nitidi Eridani lucentibus vndis.
Demúmque eximius, superatis Alpibus, Heros
Post tantos animi, tantos & corporis æstus
Succedit regnis, gressúmque in limine ponit.
Felices nimium montes, felicia culta
Allobrogum, quibus infestæ post nubila sortis
Illuxere sacri primùm aurea lumina vultus!
Et tu, Romulidæ quæ debes mœnia Planco,
Vrbs gemino vetus amne tumens, vestigia Regis
Sentis prima tui, solennes prima triumphos
Instauras, hilaríq; adeuntem voce salutas.
Nec si etiam tacitè labentis ad herbida Clani
Litora nos reducis diuino regis ab ore

Dissita seiungunt longè loca, durus acerbi
Quæ malè iamdudum belli pauor vndique vexat,
Idcirco minùs officium præstare merenti,
Absentiq; pio faustam clamore salutem
Dicere nos, gratósque procul iuuet edere plausus.
Ergo agite, ô vestro fidissima pectora regi,
Dicite iô ciues, bona cuncti dicite verba:
Omnis lætitiæ sexus vacet, omnis & ordo,
Nec pateant vllæ festiua luce tabernæ,
Quæque prius belli horribiles clausere tumultus,
Nunc potior iubeat ratio fora clausa silere.
Ite, & odoratos per compita spargite flores,
Et festos de more choros indicite læti,
Fumidáque oblatis onerate altaria donis.
Ipse ego pars vestræ quamquam tenuissima turbæ,
Conspicuus, lauróque caput redimitus olenti
(Nam me etiam ætheriis sacer ignibus implet Apollo)
Dum ritè excelsis operatur cernuus aris,
Votáque pro reditu soluit suscepta sacerdos,
Carmine plausibili celebreis redeuntis honores,
Virtutésque canam vates, & fortia facta.
Scilicet Aoniis veniens vt Naïs ab antris
Hunc olim egressum materna exceperit aluo,
Crescentisque sibi teneros assumpserit annos.
Mox, cùm rara genas nequedum lanugo notaret,
Ipse suos animos generosa in pectora Mauors,
Vincendique acrem ferus inspirarit amorem.

Hinc pro fratre pio pia cùm ter sumpserit arma,
Ter retulit fracto speratum ex hoste tropæum,
Ter votiua dedit seruatis munera templis.
Quid delata loquar sacræ moderamina claßis,
Quam faciunt CHRISTI *signatæ nomine gentes*
Vnanimi consensu omnes, atque agmina iungunt
Impia belligeri contra molimina Turcæ?
Quod nisi quæ sæuis tunc arsit Gallia bellis
Hunc remorata suos meritò seruasset in vsus,
Non vna audacem repulisset palma tyrannum,
Libera sed priscos reuocaret Græcia cultus.
Tu victor, tu bellipotens, tu gloria regum.
Tu rursum orbis amor, populi tu summa voluptas.
Et tua, quæ mundum radiis illustribus implet,
Absenteis etiam virtus tibi iungit amicos.
Te rigidi stupuere Getæ: te, maxime ductor,
Inclita quos gremio proceres Germania nutrit
Mirati augustæ regalem frontis honorem,
Mirati ingenium præstans, fandíque lepores
Optauere suis socium contingere regnis,
Eque breui hospitio longum deducere fœdus.
Salue Dardaniæ spes optima maxima gentis,
Magne armis, magne ingenio, qui solus vtraque
Laude viges, totúmque vni tibi poscis Homerum.
Aeacides dudum alter eras victricibus armis,
Nunc Laërtiades, peragratis gentibus, alter.
Neu tibi quid desit, referas vt totus Vlyssem,

Te non agnoscent quidam fortasse tuorum.
At nos, dulce quibus pro te, mitissime regum,
Oppetere, & fidei tibi testem effundere vitam,
Te colimus, tibi res, tibi nos submittimus vltrò.
Sis bonus ô populúmque iuues miseratus egenum,
Certa sequens digna imperio vestigia matris
Cuius fidus amor te nos absente tuetur,
Tu rege nos, tu pace bea. Sic tempus in omne
Cura Dei stabilem tibi seruet amica tenorem.
Sic vbi ter longum Nelidæ impleueris æuum,
O terræ decus, ô cupidi spes maxima cæli,
Quæ non æqua potest fragilis tibi reddere tellus,
Accipias solido meritorum præmia cælo.

DAMOETAS

Ad Claudiam Retiorum Ducem.

HActenus aut superûm laudes, aut prælia regum
Diximus Aeolio cantu: nunc rustica nobis
Musa placet, nunc rura vocant & amicus Apollo
Pastorum gregibus, qui pastor & ipse Pheræas
Pauit agens olim per Thessala rura iuuencas.
Nec minus & votis diuina vocabere nostris
Claudia, quæ Musas, ipsumque in pectore Phœbum
Vna geris nostri noua lux & gloria secli.

Nam mihi seu veterum splendor spectatur auorum,
Siderea seu frontis honos, & gratus ab omni
Parte decor, nitidæque illex facundia linguæ,
Seu magis ingenium præstans, quod vilia vulgi
Contemnit studia & sacri se vertice Pindi
Sistit, vt impuræ fugiat contagia terræ,
Vera pates certè penitus Dea. Quid quod & orbas
Vna foues nostra miserans ætate Camœnas,
Præsidióque tuo doctos amplecteris omnes?
Quos inter si quid merui, dum me quoque conor
Tollere humo, & veterum lusus effingere vatum,
Diua faue, sacrósque tibi ne despice cantus.
Mox & Musarum dulci prouectus amore
Aggrediar maiore sono memorare mariti
Facta tui, Allobrogum extremis quæ nuper in auris
Gessit ouans, animos dum passim ad fræna rebelles
Siue manu, siue arte adigit, latéque sonantem
Eridanum Galli fama iam nominis implet,
Hesperiæque aditus & apertas asserit Alpes.
Si vacat interea leuibus dare tempora nugis,
Ne pigeat querulam Damœtæ audire cicutam.

INFELIX *Arethusa meos cur despicis ignes?*
Cur quoties operum immunis per prata iuuentus
Aut pedibus ducit choreas, aut carmina cantat,
Me velut immitem vitas auersa leænam?
Tu si me patiare tuum pulcerrima dici,

Nec potior quisquam vario tibi lucida flore
Serta legat, iungátque manus & brachia nectat,
O tibi quàm dulces fundet mea fistula cantus!
Te Clani virides ripæ, te læta sonabunt
Flumina, te longo resonabunt murmure valles.
Quódque adeò multæ dudum cupiere puellæ,
Per pagum digito monstrabere vatis amica
Damœtæ, & longos tua fama vigebit in annos.
Quòd si etiam te dona mouent, ac forsitan illa
Plusquam næniolas, & inania carmina curas,
Sunt mihi sex niueo lucentes corpore cygni,
Quos ego piscoso Lemouicis ab amne Vigennæ
Attuleram nuper, longæuæ munera matri,
Grata quidem & pigræ solatia blanda senectæ,
Tu tamen illa feres. Quid enim mihi gratia matris,
Quid patris heu misero bona diuitis omnia prosunt,
Si tibi despicior, si me aspernaris amantem?
Sum tamen & forma, & florentibus integer annis:
Nec mihi contendat nostris in montibus vllus,
Seu sit opus lucta, celeri seu vincere cursu,
Seu fluuium ingentem validis tranare lacertis,
Aut iaculo, aut quauis agilem certare palæstra.
Nuper & ipsa aderas, veteris cùm in funere Mopsi
Ferales de more ageret vicinia ludos,
Méque ferox digitis & voce lacesseret Aegon,
Torua tuens Aegon, reliquos qui robore agrestes
Vincit, & ardentes vocat in certamina tauros.

Illum ego iactantémque manus, & multa minantem
Arripui, & media postraui latus arena.
Hei mihi quòd nulla vel vi superare, vel arte
Sum potis insano conceptum in corde furorem!
Ille coquit me luce, coquit me nocte, nec vllus
Aut modus, aut tanto requies venit vlla dolori.
Vtque leuem attonso stipulam cùm exurimus aruo,
Lucentes late crepitans furit ignis in agros,
Sic furit heu! cæcásque vorat mihi flamma medullas.
Me rigui fontes, me roscida prata dolentem
Aspiciunt, nec opem interea mihi ferre dolenti
Aut rigui fontes, aut prata humentia possunt.
Ipse pater, mœstis quem sæpe incendo querelis
Ferre negat Clanus tantæ fastidia flammæ,
Et nisi sit numen iam fundo arescat ab imo.
O qui me gelidi longinquo litore Ponti
Sistat, vbi æterna glacie concreta rigere
Stagna ferunt, crudóque gelu durescere circum
Terram omnem, & canas nunquam cessare pruinas!
Fors fuat assiduis algens Aquilonibus aër,
Leniat vt tantos & frigore temperet æstus.
Nam memini senior nobis cùm diceret Alcon
Tales hinc procul esse plagas: quo tendere quando
Fata negant, nec tanta meæ fiducia sorti est,
Ite citi nostræ quos tangit cura salutis,
Ite, mihi medicas istis in montibus herbas
Quærite, si tandem sacris depellere succis

Infandum sit fas malesano è pectore morbum.
Quid loquor ah demens? nil hîc medicamina prosunt,
Nil magici ritus, aut vani verba susurri.
Ipse licet medicæ Deus artis Delius adsit,
Ipse suam vinci fateatur Delius artem.
Sola potest Arethusa meos finire dolores.
Lympha sitim pellit, rapidum leuat aura calorem,
Vina fugant curas, Amor ipse medetur amori.
Talia dicentem numeris, & plura parantem
Dicere, fortè alto vicini è vertice saltus
Venantum auditus clamor, strepitúsque latrantum
Compressit medio turbatum en carmine vatem.

AD IACOBVM AVGVSTVM Thuanum Epistola.

QVod patruus tuus ille, sacri pars magna Senatus,
Te successorem sibi designauerit vltro,
Nec generis certè communia vincula spectans,
Sed mores animi niueos, cultumque per arteis
Ingenium, scelerisque manus ante omnia puras:
Gratulor hunc meritum tibi fidus amicus honorem.
Gratulor & patriæ, quæ tot iam oppressa ruinis
Præside te antiquum decus & tuta otia sperat.
Nam vestræ hoc proprium gentis mortale beare
Iustitia genus, & leges pacemque tueri,

Explosumque nefas tota depellere terra.
Quodque pater, patruusq; olim, quod Præses & ipse
Cœpit auus, vel tu demum conamine dextro
Perficies, vel mox à te ventura propago
Affectum absoluet, melioraque secla reducet.
Non etenim ignauum, non tu consumere tempus
Constituis cœlebs, & inerti credere somno.
Ipsa sed auspiciis nuper felicibus vxor
CANNIA *ducta tibi est, & firmo fœdere iuncta.*
CANNIA *magnanimûm soboles illustris auorum,*
Cœlestes referens vultuque & pectore diuas,
Quæ deinde optato te prolis honore parentem
Augeat, & longum tua nomina mittat in æuum.
Felix qui læto crescentes agmine natos
Vidit, & hinc seros potuit sperare nepotes!
Quid iuuat innumeris tellurem exscindere bobus?
Quid prosunt auri multo congesta labore
Pondera, quid celso perducta palatia cœlo,
Si tibi supremæ cum terminus adpetet horæ
Externo hæredi moriens bona cuncta relinquas?
Adde quod hic nobis nascentibus insitus ardor
Cuique suum instaurare genus, similémque creare
Progeniem, & natis vitæ transcribere munus.
Quam quicunque fero neglexit pectore curam,
Illum ego duritia cautes æquare marinas
Crediderim, & sanctas Naturæ vertere leges
Ingratum humano generi, inuisumque beatis

Cælitibus, quibus & sacra sunt genialia curæ.
Tu cui concedunt meliorem numina mentem
Simplicium veteres ritus imitaris auorum,
Concessumque tori non aspernaris amorem.
Atque ego prima tuæ vidi præludia tædæ
Iamdudum, primos venturæ coniugis ignes
Conscius, & tanti arcanis admissus amici,
Dum retinet blando me docta Lutetia nexu
Absentem dulci à patria, aspectúque meorum.
Inde mihi reduci lætas vbi nuncius aures
Perculit, aduentasse diem, cum pulcra subiret
Nupta domum atque noua decoraret luce penates,
Quas ego non aras, quæ non ego sacra petiui
Templa Deûm, quos non superos in vota vocaui?
Vraniæ puerum ante omneis, cui cura iugalis
Prima tori, supplex animóque & voce precabar,
Hymen ô Hymenæe Hymen cinge aurea sertis
Tempora, Parisiisque fauens illabere ripis.
Quæ te cunque tenent sedes, placidissime Diuûm
I tua quo te festa vocant, iustisque precantum
Dexter ades votis, nec honestas despice curas.
Ipsa licet vati genitrix se iunxerit olim
Bistonio gelidi vocalem ad Strymonis vndam,
Non tamen vlla vnquam sociauit corpora Cypris
Aptius aut melius, quàm Cannia ducta Thuano est.
Illa quidem forma superat præstante puellas,
Ille viros doctrina vnus supereminet omnes.

Hymen, ô Hymenæe, Hymen, da iungere dextras
Omine felici, grata vt concordia sacris
Adsit, & æternùm fidos comitetur amanteis.
Hæc procul. at tantæ pars quantulacunque fuissem
Lætitiæ, forsan præsens meliora dedissem,
Quando (nec illustres hoc inuidere poëtæ)
Magna suos inter numerat me Gallia vates
Incultum licet ac nulla arte polita canentem
Carmina, quæ cæco tamen ipse amplector amore,
Ostentóque lubens, tutísque subinde latebris
Educo dubias in aperti luminis oras.
Quid faciam? sua cuiq; placent, cuique est suus error
Inditus, & dulci deludit imagine mentem.
Vidi ego deformes extanti gibbere natos
Qui sic diligeret, sic demulceret ineptis
Blanditiis, risum spectans vt nemo teneret.
Quis scit an insipidi fiam quoque fabula vulgi?
Sed mea dum placeant Puteanis atque Pithœis,
Augustoque meo, quo nil facundius vsquam est,
Certè ego nec populi ronchos, neque vana morabor
Scommata, quin lauro caput insignitus ouanti
Vsque canam, qualis torrente cicada sub æstu
Roris amans, totos sonat importuna per agros
Assiduè, & fessas messorum verberat aures.

IN CONVENTVS IVRIDICOS Pictauij habitos Præside v. c l. ACHILLE HARLÆO nunc Senatus principe.

O Magni columen regni, præclara Senatus
Lumina, gens delecta virûm, quibus aurea præbent
Lilia sublimem generoso à principe sedem,
Saluete Astræi proceres atque omine fausto
Pictonicæ dudum optati succedite terræ.
Sic læto Æsonidum aduentu miserabilis olim
Dulcia concepit vitæ solatia Phineus,
Importunæ auido cui turpiter vngue volucres
Vellebant ex ore cibos, totúmque replebant
Immundo fœtore locum, neque certa salutis
Spes super vlla foret, nisi fessis rebus adessent
Optati iuuenes, qui monstra inuisa fugarent.
Vobis, illustres animæ, non ductor Iason
Præficitur, magno sed Iasone maior Achilles,
Qui quondam à teneræ nutritus flore iuuentæ
Aonias inter Pimplæo in monte puellas,
Inde sacræ Themidis melior pia venit ad arma.
Nec vobis etiam comes Orpheus additur alter,

Bruta ſono qui ſaxa trahat, qui flumina ſiſtat,
Sed qui Threïcio grauior Briſſonius Orpheo
Humanas teneat facundis vocibus aures.
Quid ſupereſt igitur, niſi vt ipſos grandibus auſis
Vincatis Minyas? neque enim hic incommoda deſunt
Talia, mille manus latronum, mille nocentes
Scilicet Harpyiæ, quas toto expellere cælo
Muneris eſt veſtri & ſolitas inhibere rapinas.
Aſpicite vt longo procedant agmine ciues,
Vt populi feſtis vos obuia turba ſalutet
Plauſibus, & lætum clamorem ad ſidera tollat.
Reſponſant colles, reſponſant florea circum
*Arua, ſonánſque nemus, prærupti**q** inuia rupes*
Lurdini, & placidis ludit qui Clanus in vndis;
Quæque iacent rigua virides in valle Crotellæ
*Qui**q** pij ſeruat Benedicti nomina cliuus,*
Nimirum & vobis olim loca nota, verendæ
Dum Themidis ſacram huc pueri properatis ad ædem.
At dea, quam noſtro expulerat vis impia ab orbe,
Poſt ſcelera & cædes & quæ fera cunque libido
Auſa diu eſt, ſua nunc iterum ſua ſurgere regna
Sentit, & antiquis liberrima gaudet alumnis.
Nec minus & nos, ante quibus grauis atque moleſta
Vita fuit, rerum ſedato turbine amicam
Paulatim aſpicimus lucem, ac formidine pulſa
Dulcia venturæ ſentimus gaudia pacis.
Vos ergo, ſacri heroes, quo carmine dicam?

Quæ

Quæ iuuenes, quæ digna senes præconia tantis
Præstabunt meritis, aut præmia debita soluent?
Fors & tempus erit cum sæuo erepta periclo
Pictonidum gens ritè memor solennia vobis
Vota ferat, vobis solennem instauret honorem,
Vindicibúsque suis altaria ponat & aras,
Si liceat, neque Relligio & pia sacra repugnent.
Quod poterunt certè merita vos laude nepotes
Vsque colent, gratóque ferent super æthera cantu:
Quique dies huc vos optato sidere vexit
Sanctus erit nobis, & cana in secula felix.

Ad Claudium Binetum.

SI quis amor, Claudi, tenuis cognoscere vatis
Et genus & curas (paucis namque omnia pando)
Accipe. Quindecies aderat centesima messis
Ter decies iunctis & ter tribus insuper annis,
Cùm primùm Æneadæ Cerealem ad Cæsaris vrbem
Exiui ætherias infans in luminis oras
Patrono regis natus patre, mellea cuius
Copia nodosi exoluens ænigmata iuris
Victurum meruit vicina per oppida nomen.
At mihi versificas leges, non Romula iura
Discere cura fuit, próque auro carpere laurum.

Non tamen ignauos porrò consumimus annos,
Publica sed nobis etiam sunt commoda curæ:
Quáque patet latè regio quæ nobile Picti
Nomen habet, viridémque bibit qui Santo Carentam,
Et qui nostrorum se iactat origine regum
Engolismus ager, Thetidíque admota Britannæ
Rupella, & cultor Lemouix male fertilis agri,
Muneris officium nostri patet: Vndique certis
Huc anni spatiis Quæstorum turba minorum,
Confluit approperans, & vectigalia defert
Annua regalem magni Quæstoris ad arcam.
Qui si fortè (fames vt sæpe incessit habendi)
Publica priuatos tentent conuertere ad vsus,
Castigare meum est, talémque auertere pestem,
Quà licet, ac valido audentem compescere freno.
Ipsi etiam Themidis mystæ quam pectore casto,
Quàm puris manibus faciant augusta verendæ
Sacra Deæ, fiscóque fidem & sua munia præstent,
Muneris obseruare mei est, sartásque potentis
Regis opes omnes, patrimoniáque ampla tueri.
Tu quoque Cyrrhæis aluit quem Musa sub vmbris
Egregióśque inter iussit florere poëtas,
Non ideo molli torpes, Binete, veterno.
Sed magni vice Guellæi, qui regia iura
Cognitor atque rei seruat communis honorem,
Principis interea populiq; negotia curas.

Scilicet est aliquid patriæ seruire, suámque
Ferre operam in commune: boni non vltima ciuis
Ista nota est, sine qua si quisquam viuere poßit,
Ille sibi soli viuet, neque dignus vt illi
Quisquam alius viuat, obscura qualis in vmbra
Humani generis latuit teterrimus osor;
Atque ipsas mediis in Athenis fugit Athenas.

INIS LIBRI PRIMI.



SCÆVOLÆ SAMMARTHANI SYLVARVM LIBER II.

Ad L. Castanevm Rupiposæum Abennium.



VÆ tamen ignauos iam mollis inertia Celtas
Detinet, aut spatiis timor improbus vrget iniquis,
Vt sese addicat studio vix segniter vni
Degeneres? placidas auidè colit ille Camœnas,
Doctus, seu magnum numeris æquare Maronem,
Siue hominum mentes facundis flectere dictis,
Aut rerum caussas, aut abdita promere iura.
At sit opus valido patriam defendere ferro,
Auget femineas imbelli voce querellas,
Et penitus trepidæ sit ciuis inutilis vrbi.
Alter Marte potens, primis quem crudus ab annis

Ebibit, ingenuas animo non concipit artes,
Strenuus ille quidem, & sumptis longè optimus armis,
At si succedat rigido pax aurea bello,
Negligit inculto ciuilia pectore iura
Barbarus, horribili patriam miscétque tumultu.
Hinc adeò externas armis neque pellere gentes,
Nec satis inter nos pacem licet vsque tueri.
At quos culta dedit seclis melioribus Hellas,
Bellatrix aut Roma viros, vtrumque subibant
Aequè onus, & socio gaudebat Apolline Mauors.
Non igitur mirum est, si tot tantásque per orbem
Illa vel illa tulit gemino stans numine palmas.
Nos malè vicino vix tuta tuemur ab hoste
Oppida, & vnius captis in mœnibus vrbis
Quærimus ingentes titulos, finémque laborum,
Quem dare victori prouincia victa solebat.
Vsque adeo fractum virtus diuisa vigorem,
Sentit, & egregiis nequaquam sufficit ausis.
Vnus es, ô patriæ rarißima gloria terræ,
Quem non degeneris lædant contagia secli,
Quique trucem dulci Musa moderere Gradiuum.
Atque equidem sic te nasci voluere sorores,
Ius quibus humanæ deducere stamina vitæ,
Perpetuò regni afflictis vt rebus adesses.
Seu magnum affari Tarpeia in rupe parentem
Esset opus, blandísque ad pacem inducere verbis,

Dum te magnanimo legatum à Rege tot annos
Roma videt, meritúmque abeunti reddit honorem:
Seu toties bacchante odij ciuilis Erynni
Regis amor patriæq; salus ad bella vocarent
Impauidum & populis imponere fræna iuberent.
Nec si fortè pares felix tibi Gallia multos
Ferre queat, paribus non speret & illa triumphis
Debellare suo longinquas tempore gentes.
Macte animi, macte ingenij, Ludouice, Deúmque
Non tibi concessas tot amico numine dotes
Nequidquam esse puta, tanquam sine nomine vulgo.
Non omnis moriere, tui pars optima letum
Nesciet, & longa viuet per secula fama.
Iam tua sidero tollit se gloria cælo,
Iam tibi gratantes toto ex Helicone Camœnæ
Certatim sua dona ferunt, præq; omnibus vnum
(Si quid id est, tenuémque haud aspernabere vatem)
Cœpti operis meritò te prima in fronte locamus
Insignem, & nostræ resonant tua nomina Syluæ.

HIPPOCRATIS IVSIVRANDVM *Latino carmine redditum.*

Ad Franciſcum Vertunianum Vallam, Medicum Pict.

TE per ego hic, Phœbe ô medicæ pater artis et auctor
Téque per hîc iuro non inficiande parenti
Aſclepi, & geminas dulciſsima nomina natas
Hygieam, Panacénque, Deóſque, Deáſque per omnes,
Quos teſtes appello fore vt, dum vita manebit,
Quæ nunc conceptis ſtatuo promittere verbis
Illa ſequar vigil, & ſeruem indefeſſus ad vnguem,
Promiſsiq́ fidem res vt iurata ſequatur.
Qui me hanc inſtituit puerum præceptor ad artem,
Ille mihi patris inſtar erit: non ſegnius illum
Vſque colam, ac ipſos qui me genuere parentes:
Illum ego fortunas comitem complectar in omnes:
Illi, cùm ſors dura feret, miſeratus egeno
Succurram: totis opibus, tota arte iuuabo.
Nec minus & fratrum inſtar erunt, quos pectore toto
Certus amem, firmóque mihi quos fœdere iungam,
Tum nati illorum, tum qui naſcentur ab illis.

Quorum si quis erit, pulchro qui incensus amore
Virtutis nostras animum conuertat ad artes,
Hunc ego gratuitò, & nulla mercede docendum
Suscipiam. Quin & quouis genitore creati
Omnia me discent omnes præcepta magistro,
Omnibus vnus ero ductor, Phœbeia princeps
Castra sequar, duce me vestigia figere discent:
Si modò militiæ dederint sua nomina nostræ.
At sacris, Thymbræe, tuis quicunque teneri
Abnuerint, procul hinc illos, procul esse iubebo.
Omnibus hoc vnum studiis, operáque fideli
Curabo, vt victus ratio quæcunque salubris,
Nec producendæ fuerit malè congrua vitæ,
Hanc ego præscribam bonus, & contraria damnem:
Vt, quantùm potero, maneant me vindice tuti
Mortales, fatíque furens iniuria cedat.
Non ego vel pretio, vel iniqua petentis amici
Adducar precibus, cuiquam vt lethale propinem
Pharmacon, aut alius quisquam me auctore propinet.
Nec vero mulier temerati damna pudoris
Si qua sit abiecto cupiat quæ extinguere fœtu,
Huic ego subjiciam pessos, animámve latentem
Cònscius, & nondum viuentia membra necabo.
Faxo mihi sceleris purissima vita nefandi
Semper eat, castique decus sine labe pudoris,
Nec mihi sanctum vllo vitietur crimine munus.
Vesica inclusis miserè quos calculus angit,

Haud ego sustineam crudeli excidere ferro.
Ecquis enim furor est, qua sanas vulnera dextra,
Hac eadem miseris membris infligere vulnus,
Sæuúmque infando sedare dolore dolorem,
Et lethum vt fugias aliunde accersere lethum?
Scilicet has verset cædens operarius artes,
Durum hominum genus, & pietate insigne cruenta.
Me quæcunque domus venientem exceperit, omni
Viderit hoc cura satagentem, vt quæ ægra iacebunt
Membra toro dulci arte leuem, mentésque dolore
Oppressas recreem verbis solatus amicis,
Fœmina virue fuat nullo discrimine habebo,
An domini an serui: neque amor me cæcus habendi
Interea, aut Veneris coget male-sana libido.
Siue vacem officio, seu quiduis moliar vnquam,
In vita si forte hominum quid videro, quod sit
Celandum, celabo lubens, linguámque fideli
Corripiam fræno, nec grata silentia rumpam:
Nec secus atque meæ fidei commissa tenebo
Arcana, & tacito sub pectore clausa recondam.
Sic mihi diuini faueat bona Numinis aura,
Sic fortuna meis accedat prospera rebus,
Quæque mihi merces suscepti optata laboris,
Laude vehar, vigeatque meum per secula nomen,
Vt me nulla dies violantem hæc viderit vnquam.
Sin minus, & vano periuria turpia mendax
Ore loquar, dubiíque ferant hæc irrita venti,

Nulla mihi ex animo succedant vota, sed atrox
Me miserum sæuis merset Fortuna procellis,
Tristiaque inuisæ capiant me tedia vitæ.

Ad P. Blond. calexium
Medicum Iuliodunen.

ILLE *opifex mundi pulcerrima cuius imago*
Omnis homo sumus, ætheriæ spiramus & auræ
Particulam, non hæc indulsit munera nobis
Gratuitò: sed enim iusto rem examine librans,
Cætera cùm solo vigeant animalia sensu,
Diuina & ratio sit solis insita nobis,
Fecit vt hoc poßint nobis præstare videri
Quæ viuunt lætos animalia multa per agros,
Quæque natant liquidis animalia muta sub vndis,
Quæque volant tenues animalia picta per auras,
Quod cùm traducant placidum feliciter æuum,
Nec duris habeant obnoxia pectora curis,
Vna malis hominum sic vndique vita referta est,
Vt merito puras in luminis editus oras,
Tanquam venturæ sortis iam præscius infans
A fletu incipiat nascentes protinus annos.
Illa autem Ratio, nobis quæ sola malorum
Materies poterit merito fortasse vocari,
(Quippe homini hoc pretio per iniquos vendita Diuos)

Repperit ipsa malis solatia debita, mentem
Siue premant curæ, seu vexent corpora morbi.
Sic vbi quem læsit metuendus acumine caudæ
Scorpius, & dirum sparsit per membra venenum,
Illatum ipse suo sanat mox sanguine vulnus.
At quamquam longè mens corpore dignior extat,
Vt quæ morte carens æternum duret in æuum,
Cùm tamen hoc veluti sit carcere clausa, necesse est
Corporis affectus mens vt captiua sequatur.
Imprimis quærendum igitur qua pellere morbos
Arte queas, non cælo aliud diuinius vllum,
Demissum munus miseris mortalibus vnquam est.
Felices quibus hanc ediscere contigit artem,
Naturæque sinum reserare, & lucida nosse
Sidera & herbarum vires aperire latentes.
Inde etiam humani fabricam scrutarier omnem
Corporis, ac velut in speculo se comminus ipsos
Cernere, & his studiis vigili sibi mente parare
Vnde queant hominum infirmæ succurrere genti,
Et reparare æuum, Naturæque addere vires.
Hinc Phœbus pater, hinc & Phœbi filius olim
Ascribi meruit Superis, nec tempora nullos
Nostra ferunt, quibus has meritò quærita per artes
Gloria sidereo tollit se viuida cælo.
Téque adeò Blondeli animæ pars optima nostræ,
Quo melior nemo languore oppressa leuare
Corpora, & effœtos accersere robur in artus.

Nec verò sola est ægris succurrere membris
Cura tibi, ast alios etiam doctißimus ipse
Qua fieri id poßit ratione docere laboras.
Debita si meritis accedat gratia tantis,
Est bene quòd speres. quod si labor irritus, & se
Cogatur virtus ipsa contenta manere,
Hoc sáltem fuerit pretium pro talibus ausis
Quod te hominem præstas homini, multósque iuuando
Summum imitare Deum, duce quo dum tu quoque pãdis
Quæ producendæ ratio sit idonea vitæ,
Ipse tuam innumeros vitam producis in annos.

CHRISTIANORVM, QVI SVB Turca degunt, Oratio.

SVmme parens, rutili qui templa nitentia cæli,
Aëráque imbriferum & vasti maris humida regna
Libratámque suo fundasti pondere terram,
Principióque & fine carens, immensa potestas,
Primum argilla hominem formas, terræque colendæ
Præficis, at supremum habitas ipse altus Olympum,
Vnde loca obtutu latè omnia cernis acuto.
Omnia tu claudis, nec tempore clauderis vllo.
Tu cæli ætherios præscriptis legibus orbes
Dirigis, hos rectis, obliquis motibus illos,

Alternosque dies alterna diuidis umbra,
Vnde vices anni, tempestatesque notamus.
Tu mare, tu ventósque cies, & fulmina vibras:
Vtque leui puncto ingentem tua dextera mundum
Condidit, ad nihilum sic cùm volet illa reducet.
Ast hominum ingrato gens pectore perdita nescit
Quanto illam studio vitæ per deuia ducas.
Fac bonus vt nunquam recto de tramite flectat,
Nec minus à diris infesti fraudibus anguis
Assere, quæ primos olim cepere parentes.
Stellatas ostende vias, quibus ante volatu
Helias, Enochúsque pater petiere nitentis
Insignes eboris purum super æthera sedes.
Tum demum accipiet plenissima pectore toto
Gaudia quisquis erit qui te presénte fruetur,
Augustúmque decus sacri admirabitur oris.
Alme parens (nam tu mortalibus omnibus æquus
Iurasti, nec vana fides, fore vindice nato
Oppressa eximeres vt amaris pectora curis)
Aspicis vt penetrale tui miserabile templi,
Et genus electum, & sanctæ domus alta Sionis
Inuisa externi patiantur iura tyranni?
Isacidas miserare, tuámque vlciscere gentem.
Nunc mihi, nunc cælo lubet altam educere vocem,
Promissique fidem querulis exposcere verbis,
Sempérne hos tanto, Deus, in mœrore relinques?
Carmina vos montes, vos carmina reddite siluæ.

Vos etiam resonate meis caua cantibus antra.
Tu Deus hæc audi miserans, & ab æthere celso
Mitte tuum terris populi in solatia CHRISTVM.
Flaue Tigris, placidi partem qui præfluis horti,
Quem caput incoluit generis mortalis Adamus,
Quæ cecini domino, dominiq; immobile pactum
Perfer ad extremos veloci flumine Persas.

T. COSSÆI EPICEDIVM
Ex G. Alberti Gallico.

IPSE *pater vatum, diuino carmine cuius*
Viua etiam magni nunc cernimus Hectoris acta,
Haud quidquam arte sua Cossæi laudibus addat.
Quacunque immensi patet ingens machina mundi,
Aëréque, vndosóque mari, cælóque, solóque
Eximij iuuenis volat vndique nobile nomen,
Famáque longinquas nunquam peritura per vrbeis
Fertur, & hunc meruit generosum pectus honorem,
Absque mora primis quod se patefecit ab annis,
Nec se gessit ita, vt passim vulgaribus est mos
Militibus, totum peragunt qui segniter æuum
In castris, donec mora vix longissima tandem
Accinctos operi videt, & se ad fortia demum
Facta acuunt, gelidi cùm dura relinquere cani
Castra monent. fuit hoc viridi Cossæus in æuo,

Haud multis sera quod contigit esse senecta.
Ille etenim patrias vbi primum in prælia turmas
Ducere, & infestos contendere iussus in hostes,
Sic acer ruit in medios, vt certa futuræ
Virtutis documenta daret: mox agmina victor
Integra dum fracto toties ex hoste reducit,
Confestim & Regi & populo gratissimus vnus
Se totum insolito cumulari sensit honore.
Tantùm vera potest, cui sors comes addita, virtus!
Nec satis huic cœpisse fuit, minimúmque putauit
In cœptis decus esse, nisi pede pergat eodem,
Vt tandem egregiis Colophona imponeret ausis
Impiger, & rara posset virtute mereri
Illorum ascribi numero, clarissima quorum
Nomina laurigeri splendescunt laude Gradiui.
Hanc autem extremo firmauit funere famam,
Cùm ferus arrepto clypeo (sic Regis amici
Suadet amor) pulchram petiit per vulnera mortem.
Ille quidem moriens nobis æterna reliquit
Lamenta, ast æterna sibi simul ipse parauit
Nomina, quæ nullum non admirabitur æuum,
Bellica dum merito virtus in honore futura est.
Ergo suo vitam Regi deuouit in armis
Sponte sua, certus medio aut occumbere campo,
Aut superare hostem: neque sic lugenda cadentis
Conditio, nullum patitur qui funere damnum.
Pro fragili vita solidum sortitus honorem.

Ipse quidem poteras (ea si mens forte fuisset)
Cossæ, ignauum traducere leniter æuum,
Stare domi partisque bonis à patre fruisci,
Quæque tibi magno congesserat ille labore
Desidia molli in varios conuertere lusus,
Armorúmque procul strepitu securus & expers
Terrorum ignoti vitare pericula Martis.
Aut si fortè pudor te inuisa vocasset ad arma
Nolentem, vt multos qui regia castra sequuntur,
Tuto stare loco poteras, animámque periclo
Surripere, & creperi non vlla subire duelli
Damna cauens tibi: sic flueret mollißima vita,
Sensimque in seros sese produceret annos.
Igneus at menti vigor insitus, ipsáque vero
Pectora quæ virtus laudum incendebat amore,
Et Regi promissa fides, te sola iubebant
Bella sequi, dubiámque animo contemnere sortem.
Hic patuit victrix tua quantum dextera posset,
Cordaq; degeneri nunquam depressa timore,
Illáque, qua sese decorari Gallia sensit,
Digna Deo virtus. O térque quatérque beati
Heroes, tantùm quos Iuppiter æquus amauit,
Vt similes illis animos diuinitus afflet
Quos tibi, Cossæ, ætatis rarißima nostræ
Gloria, magnanimo cuius tot pectore gesta
Clara iuuentuti præbent se exempla futuræ,

Vt tua

Vt tua sectantes olim vestigia discant
Et pulcram, dum vita manet, sibi quærere laudem,
Et non obscurum post fata relinquere nomen.

AD MICH. HOSPITALIVM FRANCIÆ CANCELLARIVM Epistola, Ex eodem.

Postquam Regis amor sacræ tibi munera ceræ
Commisit, primúmque togæ mandauit honorem,
O qui tum plausus populorum & quanta fuere
Gaudia! nec sanè immeritò: res nam ipsa docebat
Aduenisse diem tot votis ante cupitum,
Cùm neque virtuti iam debita præmia desint,
Nec sola ambitio rerum ad fastigia ducat.
Nempe aberas procul Allobrogum, Ligurúmque per vrbes,
Sed tua te in magnis iamdudum cognita rebus
Præsentem media virtus faciebat in aula.
Quippe adeò imberbi iam clarus ab inde iuuenta
Grande tui specimen dederas, nec deinde per omnem
Visus es ætatem vel vi vel mnere flecti,
Quominus officij recta in ratione maneres.
At quamquam his sensim auspiciis tua viuida fama

Cœperit excelso se primùm attolere cælo,
Non tamen eximiis inimicus defuit ausis
Qui tua morderet vesanus nomina liuor.
Scilicet ignorans insonti nulla nocere
Crimina, quóque magis premitur pulcerrima virtus,
Hoc illam magis atque magis se ferre per auras,
Pulsóque inuidiæ sublimem euadere fumo.
Ille autem ætheria qui nos regit æquus ab arce
Te Deus eduxit primis & fouit ab annis,
Pérque gradus omneis paulatìm euexit honorum,
Donec suprema spectandum in sede locauit.
Forsitan hi doleant quibus est mens conscia culpæ,
Iurgia qui litésque serunt, alienáque turbant
Otia: nec desint tua quos constantia vexet,
Si quando empta prius diuendere publica rursum
Munera non liceat passim venalia nostris
Hactenus, vt merces alio quas orbe petitas
Exponit media venaleis nauta taberna.
Integer at vitæ fore nunc te vindice sperat
Concessum placidi spatium traducat vt æui,
Nec iam odio nec iam vano compulsa fauore
Sordida mens hominum, cæcáque libidine habendi
Percita iustitiæ temeret venerabile numen.
Nec Themidis porrò tanquam præconibus olim
Sancta ministeria indigne subiecta, videre
Fas sit, vt antè fuit, plerúmque addicier illi

Qui licitatus erat collectis fœnore nummis
Aut aliquo turpi quæstu, furtísve, dolísve,
Fors etiam infami corruptis arte tabellis.
Ecce autem egregius iudex iam limine ab ipso
Consessu in medio patrum, castóque Senatu,
Attollitque manum & constanti peierat ore
Nullo se precio quodcunque hoc munus adeptum.
Atque ita periurus celsum de more tribunal
Conscendit meditans hoc vnum & pectore voluens
Qua tandem arte, quibus possit pensare rapinis
Quod prius accepto pro munere præstitit aurum.
Iamque minutatim vendit solido ære quod emptum
Ante sibi est, abigitque omnem de mente pudorem.
O cæcos mores & auari opprobria secli!
Quid mihi tot veterum nodosa ænigmata legum
Proderit & grandes prudentum euoluere libros,
Si sine tot studiis tantorum & mole laborum
Siue bonis via siue malis discrimine nullo
Per solos pateat sacra ad subsellia nummos?
Huic tu præcipuè, vir magne, medebere pesti,
Certus non alios posthac conscribere patrum
In numerum, nisi qui præstent grauitate fidéque.
Te frustra indoctus, frustra importunus adibit,
Quanquam illum obnixè commendet epistola Regi
Vnius è procerum numero, qua fretus in aulam
Irruat & rapidis præuertat cursibus omneis.
Quæ tamen ille sibi spondebat munera vanus

Haud referet, iustámque repulsam passus abibit,
At nihil ambitionis egens (sibi nam satis ipsa est)
Anteibit virtus fautoribus omnibus vna.
Sic demum fugient fraudes, fugientque rapinæ,
Sic fugiet, qua nec monstrum deformius vllum est,
Illa carens oculis inimica Inscitia vero,
Iudiciísque suum reddes decus atque nitorem.
Nec longè has arteis vt perdocearis abibis,
Sufficient quæ mellifluis præcepta notasti
Carminibus, dio plenus dum numine cantas
Qui Regem deceant mores, quæ cura adhibenda
Vt populo pius atque sibi secla aurea condat.
At tu si quis amor, si quid te publica tangunt
Commoda, nec spernis venturæ præmia famæ,
Ne patiare diu tam docta volumina capsis
Celari, & mutis sine fruge latere sub vmbris.
Interea hoc munus placido bonus accipe vultu,
Quod strepitus interque fori, populique tumultus
Edebam, nec plura pater concessit Apollo
Asper & infensus, postquàm lucrosa legentem
Iura fori steriles vidit me linquere Musas.

AD IO. DEFENTIVM.


FOrtunate senex, cui nec maturior ætas
Vlla potest fregisse animos, rectúmue morari

Propositum, patriæ subeas quin pondera molis
Impiger & tantis rursum obiectere periclis.
Fortunate idem iuuenis, quem feruidus olim
Non vetuit calor ante annos senioribus vti
Consiliis, patriæ dum tu quoque fræna teneres,
Commissamque vrbem longa obsidione leuares.
Ipsa tibi Natura parens vtrumque sub æuum
Temperiem dedit & rebus facit esse gerendis
Siue manu siue arte habilem nec territa duris
Temporibus meliorem habuit Respublica ciuem,
Cui potius primo væsani turbine belli
Credere se posset, reuolutáque rursus eodem
Quem semel experta est hunc gestit habere magistrum
Iure suo & fidis iterum se tradit habenis.
Ergo velut pulsa dubiæ caligine noctis
Nos recreat noto rediuiuus lumine Titan,
Sic vbi te insignem repetito munere læta
Plebs videt & notos veneratur pendula vultus,
Dulcia iam optatæ spondet sibi gaudia pacis.
Tu modo solenneis vrbis ne despice plausus,
Atque pater patriæ toties assuesce vocari.
Nec via difficilis fuerit, vestigia tantùm
Ipse tua obserues, tibi tu fidissimus vnus
Dux eris, & certam referes cùm laude salutem.

ANNÆ ANGLVREI
Givræi Equitis fortiss.
TVMVLVS.

Dum cæcos hominum motus, iráſque, dolóſque,
Dum furias, ipſis & digna Gigantibus auſa
Deſpicit e ſupera malè tutus Iupiter arce,
Pertimuit Cælo, rurſúſque antiqua parari
Prælia præuidit, quod præuidet omnia, numen.
Ergo ſuo Diuûm ne defenſore careret
Regia, qui tantos poſſet cohibere furores,
Et certum inſtanti caput obiectare periclo,
Giuræum euocat ad ſuperos quo fortior vſquam
Nullus erat, quique horriſonis Mars acer in armis
Alter erat. belli gemino nunc numine Cælum
Gaudet, & inuiſæ ſpernit monſtra impia Terræ.

FINIS LIB. II.





SCÆVOLÆ SAMMARTHANI SYLVARVM LIBER III.

AD PHILIPPVM PORTÆVM.



Ene, ô Pierides, plus vno viuere seclo
Exemptum tenebris hominúmque per ora vagantem?
Non equidem assumo tantùm mihi, nec mea vano
Corda tument fastu. si quis tamen hunc quoque si quis
Fors olim melior genius mihi spondet honorem,
Sic eat, & studiis, quàm dedita turpibus ætas
Mercedem vati negat, hanc ventura nepotum
Tempora dent, largóque moras cum fœnore pensent.
Namque (fatebor enim) vatum quoque blandus inescat
Me labor, & dulcis iamdudum insania ludit.
Quid faciam? ante alios cælum quibus emicat ignes
Ipse mihi princeps nascenti illuxit Apollo,
Et mea Pimplæis deuouit pectora sacris.

Méne etiam placito Superûm pugnare fauori?
Prima meis studiis populosa Lutetia sedes
Contigit, hinc primum sacræ nemora ardua rupis
Et semper virides Hæmi patuere recessus.
Dein celebrem. Astrææ sacris sum missus in Vrbem
Pictonidum, si quà naturam expellere furca,
Atque leues possem de mente fugare Camœnas.
Sed tamen hoc frustra. nam quo me cumque ferebam
(Tantus amor) semper comitem se adiunxit eunti
Fida cohors, iußitque animum iuuenile calentem
Spernere lucrosas, vulgus quas appetit, artes.
Vix bene contigeram limosi litora Clani,
Cum Iani occurrit nobis miseranda Perusæ
Pieris, illa quidem rara lectißima forma,
Quæque sua doctorum oculos nouitate teneret:
Verùm imperfecti lugebat damna cothurni
Vsque latens, nec apertæ audens se credere scenæ,
Læuia quòd nuda paßim cute crura paterent.
Donec ego extincti miseratus fata poëtæ
Absolui, attexens operi quodcunque vocatus
Delius, & placidæ mihi suffecere sorores.
Nec mora, cùm populi iam peruenisset in ora
Cultior, & genium liber haud ingratus haberet,
Gaudebam alterius sub nomine nostra libenter
Scripta legi inuidia vacuus, tutique periculum
Ingenij tacitè sic me fecisse iuuabat.
Inde petita mihi Biturix, vbi diuite pollens

Eloquio ante omnes Duarenus iura docebat,
Et ſolitus ᵛitans ſalebras per amœna ᵛireta
Inſuetum pandebat iter, qua forſitan arte
Mens illectari poterat, niſi me ſibi totum
Vindicet Aoniæ ſtudium immortale cateruæ.
Inde aliæ atque aliæ ſedes: nunc aula ᵛagantem
Excepit, patriæ nunc blandior aura recepit,
Nunc & magna tuos adij Germania fines,
Corniger Arctoa Rhenus quà labitur ᵛnda,
Vangionéſque, Vbióſque rigans, & clara Nemetum
Mœnia, cum ſonitu Batauum deſcendit in æquor.
Pòſt ᵛbi quà Druydûm dicta eſt de nomine tellus
Pugnaſſent ex parte acies ᵛtraque paratæ
Nequicquam, & dubio erraſſet ᵛictoria campo,
Sperabam infeſti ſedato turbine belli
Iamdudum optatis penitus me tradere Muſis.
Ecce autem magno miſceri murmure rurſum
Gallia & infandos cœpit renouare furores.
Impia, ᵛos patrum ô ſancti mihi parcite manes,
Dura loquor, ſed ᵛera loquor, nimis impia certè
Gallia, nec ſacro ᵛenerandi nomine CHRISTI
Cenſeri iam digna ſatis, cùm iura fidémque
Contemnat totiéſque ſuo ſe ſanguine fœdet!
Nec minus interea me bella domeſtica ᵛexant,
Anxiáque innumeræ conſumunt pectora lites,
Quas ſocer incautus peperit, frigente ſenecta,
Intempeſtiuum Veneris dum concipit ignem

Infelix, miseráſque nouercam inducit in ædes.
Hinc patrum immenſo patrimonia parta labore,
Quæ reliquos inter ciues domus ampla tenebat,
Inuaſit fera peſtis: & hoc in turbine rerum
Quiſquam Pegaſeis poſsit locus eſſe puellis?
Obſtrepit hinc triſtis belli fragor, obſtrepit illinc
Cæca fori rabies, & nubibus irrita donant
Omnia, quæ ipſe chori princeps dictauit Apollo.
Quid loquar impenſum curis ciuilibus æuum,
Diſtractámque diu per mille negotia mentem,
Dum mihi nunc ſacræ cuſtodia credita gazæ,
Nunc Vrbis tutanda ſalus, ne tempore duro
Turbarent fidos infeſta pericula ciues?
Multa tamen luſi interea: tantum inſita menti
Vis potuit, famæq; bonis innata cupido.
Meque ſuos inter numerauit Gallia Vates,
Seu blanda Aeolio modularer carmina plectro,
Seu tenues cantarem elegos, dum flordia lætum
Ver agit, & ſtudiis gaudet iuuenilibus ætas.
Quinetiam intacta quærens de fronde coronam,
Auſus ego, ingenti Vatum applaudente theatro,
Longum operæ grauioris opus, quale antea nulli
Contigit è noſtris Latia tentare Camœna.
Et potui, Gallóque homini (quæ gratia Muſæ
Veſtra fuit) Graiûm arcani patuere receſſus,
Cyrrhaque, Parnaſſúſque biceps, vbi florida plena
Serta manu, & ſacras licuit decerpere lauros,

Dum molles infantum artus quæ pabula firment
Exequor, & natas in commoda publica seruo
Mille animas, auidíque moror crudelia fati
Vulnera, & instantes Parcarum auerto rapinas.
Inde pium vitæ spirans melioris amorem
Sacra Deûm regi cecini, cælique beatis
Ciuibus, & casto demulsi carmine mentes.
Exemplo, Portæe, tuo quem numinis aura
Phœbei primis genuinum afflauit ab annis.
Dumq; olim teneros molli pede ludis amores,
Nullus erat qui se dicendi laude poëta
Auderet conferre tibi: sic ore fluebant
Mella tuo, & suauem redolebas totus Hymmettum.
Dein Superum sanctas diuinis vocibus aures
Lenisti, & sacro clausisti carmine cantus.
Fortunate operum, si quid monumenta merentur,
Nulla tuos vnquam delebunt secula versus.
Nec tibi prensanda est alieno fama fauore:
Dum Priami soboles & Gallica sceptra manebunt
Semper eris, memoriq; diu celebraberis æuo,
Et patriæ tecum florebit gloria linguæ.
Non tamen ista tuo sub nomine pauca verebar
Edere, téque meis ornandum includere chartis.
Scilicet ingrati nunquam delebile nomen
Vt fugiam, seríque sciant me teste nepotes
Quo candore animi, quo fidus amore sodalem
Prosequeris, nostrúmque iuuas quemcunque laborem.

Cumque pius princeps tibi iusti signa fauoris
Multa ferat, non Aonios duntaxat honores
Miratus, sed & ingenij solertis acumen,
Et niueos mores, & natam ad grandia mentem,
Ponderéque in medio rerum tibi præbeat aures,
Huic ego si quando placui, tu sponte fauentem
Extimulas, primóque faces bonus addis amori.
Salue Pierij meritò spes optima cœtus
Dum lateo dominæ procul à splendoribus aulæ
Pictonicos inter scopulos, vbi Martius horror
Intonat aßiduè & trepidantia pectora turbat:
Interea, si certa fides, absentis amici
Nomen ama, & memori constans in pectore serua

GENETHLIACVM.

NOn tamen omnino, Superi, delere paratis
Pictonicum genus, & ciuili excindere ferro,
Cùm pulcram nobis generoso è sanguine prolem
Sufficitis forti de semine nobilis Aelij,
Patria cui debet, Latio quod Roma Camillo
Debuit, vrbe etiam pulsis hoc tempore Gallis,
Qui sacra nec veriti fuerant violare Deorum
Limina, sacrilegi soboles verißima Brenni.
Non illum solas, præstat quibus impiger, artes
Exercere togæ iuuat, & fora nota fouere:

Sæpe etiam, patriæ cùm res id postulat, arma
Tempore sumpta placent, & Pallade claret vtraque.
Nempe animis hominum si quando viuidus ille
Ardor inest, plenúmque inhiat virtutis amorem
Desidiæ impatiens, illaudatique soporis
Exultat, studióque ferè haud includitur vno.
Fortunate puer, tali qui patre creatus
Quod sectere domi tantæ virtutis habebis
Exemplum nullo meritò delebile seclo.
Fortunate puer, fausto tibi lumine mundus
Nascenti arridet, rerúmque haud tristis imago
Spondet inoffensæ lætissima tempora vitæ.
Hoc erat Autumni tanto quod tempore nuper
Temperies producta fuit, sudúmque serenis
Nubibus egelidæ nituit sub sidere brumæ.
Dein cùm deformi riguisset frigore tellus,
Et glacie concreti amnes, & quicquid iniqui
Sæua reducit hyems torpentia corda teneret,
Mox veniente die, casta cùm matris ab aluo
Luminis in dulces oras prodire parabas,
Paulatim & frangi rigor, & mitescere cælum.
Fallor? an hæc aliquam portendunt omina pacem,
Vltricésque iras, rediuiui incendia belli,
Vlteriùs fata ire vetant, superiq; fauentes?
Et meritò: quid enim toties furialibus ausis
Gallia tam cæco ruat in sua damna tumultu,
Atque aliis inuicta suo se robore vincat?

Nónne fuit ſatius iunctis pia prælia turmis
Vertere in illeges Turcas, duróque leuare
Colla iugo oppreſſæ per tot iam ſecula gentis
Graiugenûm, feſsiſque Aſiæ ſuccurrere rebus?
Ite, inuictæ animæ, quo vos poſſeſſa profanis
Buſta vocant repetenda Dei, felicibus ite
Auſpiciis, aderit fauor alti certus Olympi.
Sic olim auratæ quærentes vellera lanæ
Magnanimi heroes, Graiæ ſocia agmina gentis,
Aequor inexpertum prima tetigere carina.
Quorum & Biſtonius iuuenis memoranda canebat
Facta comes, fluctúſque inſanos voce tenebat.
O mihi tale fauens plectrum concedat Apollo!
Vos per inacceſſas rupes, per inhoſpita ſaxa
Perſequar, his vt viſa oculis non auribus hauſta
Bella canam vates, & longa in ſecula mittam.
Vos non Lethææ mergent obliuia ripæ:
Vos quà ſol oritur, vos quà ſe condit in vndas
Rumor aget, niueiſque volans ad ſidera bigis
Euehet, & ſeros mandabit ad vſque nepotes,
Fors ego nec tantæ fuero pars vltima famæ.
Me iuuet interea partus ceciniſſe beatos,
Sincerúmque mei teſtari cordis amorem
Carminibus, noti reſonat quæ garrula Ciani
Ripa, nouúmque ſuis gaudet me adiungere ciuem.
Vos modò, iuge quibus ſtudium eſt humana tueri,
Cælicolæ, hunc veſtro puerum ſeruate fauore

Incolumem, & vitæ facilem indulgete tenorem.
Atque adeò, verbo breuiter complectar vt vno
Omnia, quæ vel sors, vel continet æmula virtus,
Huic date vt eximij liceat vestigia patris
Certa sequi & tanto censeri nomine dignum,

EPITHALAMIVM
Ex Gallico R. Bellaquei.

O Quæ vecta leui spumosa per æquora concha
Iussisti insanos olim, dea, ponere fluctus,
Descende è cælo: túque Hymen ô Hymenæe,
Huc ades, & noctem, qua nunquam faustior vlla,
Aurea festiuo tollas ad sidera cantu.
Et vos, ô Nymphæ, quæ prata per herbida lætos
Ducitis arte choros, vitreis qua lucidus vndis
Parisium lambit sinuosus Sequana litus,
Nunc immortalem cantu celebrate decorem,
Et merita amborũ, & nitidam hanc super omnia lucem
Collucentem igni, quo nunquam purior alter
Casta Cupidinea consumpsit pectora tæda.
Dicite diuinæ vultus atque ora puellæ,
Et penitùs nulla maculatum labe pudorem,
Tum niueos pueri mores, cultámque iuuentam,
Præclarumq; vtriusq; genus, quod sanguine ab vno
Francorum antiqua defluxit origine Regum.

Hic est Borboniæ lux prima, & maxima gentis,
Henricum referens virtute & nomine Regem.
Illa soror regis dignissima rege marito
Margaris augustæ nomen fatale Nauarræ.
O nimium læto cæli sub sidere iuncti,
Publica priuato qui fœdere fœdera firmant,
Gallicáque æterna componunt oppida pace.
Ecce diu optatæ iam noctis amica propinquant
Tempora, iam tremulas orta sub nube sagittas
Procedens Vesper media inter sidera spargit.
Lucentem video cæli per nubila currum
Stellarúmque globos, atque agmina longa trahentem.
Sume age, pulcher Amor, pharetram, sume ocius arcũ,
Et lenem alarum ad motum volitantia mitte
In blandos tua tela oculos, & mellis odori
Cælestem roseis labris infunde liquorem.
Sparge hodie quicquid lectorum mittit odorum
Aut gens Assyria, aut spectanda nigredine membra
Quæ gerit, & crispis nulla caput arte capillis.
Fac thymus vt thalamum, fac suauis amaracus ornet,
Peruolitentq; vagæ, ponantq; apiaria circum
Florilegæ volucres, condantq; liquentia toto
Mella thoro, & donis cælestibus omnia fragrent.
Mollis vt vmbrosa lasciuit in arbore vitis,
Vt se hedera amplexu vario per robora fundit,
Atque tenax tanquam vnguiculis tota implicat vncis:
Candida sic teneræ fusus per membra puellæ

Ora

Ora premens, geminúmque sinus turgentis honorem
Insere te optatæ, tandémque innectere totis
Artubus, vt firmo se glutine corpora iungant.
Hos inter lusus impressas dente relinque
Mille notas, niuei quæ puro in marmore colli
Nigrescant, nitidi vt si fortè coagula lactis
Deciduum inficiat viridanti ex arbore morum.
Ergo age, delicias fac mille, & dulcia fige
Basia mille oculis, & basia mille capillis.
Ergo age, delicias dic mille, & pectore ab imo
Crebra loquens tremula deduc suspira voce:
Quale olim, Zephyri moueat si blandior aura,
Populus albenti tremulum det crine susurrum.
Sit fas flumineas potius comprendere lymphas,
Quótque in Erythræo voluantur litore arenæ,
Lucida quot rutilent distincto sidera mundo,
Quótque natent liquidis animalia muta sub vndis,
Quàm dulces numerare iocos, & grata duorum
Gaudia virgineo bene dissimulata pudore
Blanditias inter molles & libera vota
Mille modis, quos ætatis calor ipse ministrat.
Vt rosa, seruenti quæ Solis ab igne perusta est,
Purpureum amittit languenti flore colorem,
Nec spes vlla, nisi hanc nocturnus recreet humor:
Sic matura viro secretis virgo calescit
Ignibus, & totas consumitur ægra medullas,

Suspirans noctem, quæ tantos vna dolores
Eimat, & [illegible]litum depellat corde timorem.
Surge igitur, lux alma, nouos nunc exere vultus,
Iam sol cæruleo flauum caput æquore tinxit
Pronus, & immenso currum sub gurgite mersit,
Surge, bone ô Vesper, neu gaudia læta moreris,
Basiolis fœcunda parant quæ promere labra.
Sparge tuos latè radios, pulcerrime diuûm,
Séque duo longis exoluant pectora curis.
Vt foliis viduæ laurus, & piscibus æquor,
Florilegæ sine melle vt apes, sine sideribus nox,
Ver sine floribus, & nitidis sine solibus æstas:
Sic sine amore thorus languet, ponítque leporem.
Hic etenim ales Amor positis velut incubat ouis,
Hic teneros primùm pullos excludit, amico
Igne fouens, natísque alimenta optatat ministrat.
Quare agite, ô Charitum, & Veneris dulcissima cura,
Felices animæ, improbulos miscete calores,
Qui furtim in tepidas liquefacta per ossa medullas
Labuntur, qualis sub odoris floribus anguis
Vere nouo serpit gelidus, mutíque sub vnda
In venerem currunt, stimulante libidine, pisces.
Tu fac, mitis Amor, thalamũ hunc pax aurea semper
Incolat: interea duce te labentia fallant
Tempora, & æquali caleant duo viscera flamma,
Inq; vnam coëant geminæ per mutua mentes

Vincula, neu tristes turbent ea gaudia curæ.
Mox lætam quoque prole domum fœlicibus auge
Auspiciis, castóque vtero nouus exeat infans,
Maternum pulcra referat qui fronte pudorem,
Ingenióque patrem, atque animis ingentibus æquet,
Fac Deus, vt placidæ certo fluat ordine vitæ
Perpetuus tenor ambobus, facilisque senecta
Extremam tumuli seros perducat ad oram,
Demúmque vna duos fato lux tollat eodem,
Et vehat vnanimes in eadem nauita cymba.
Interea nostros fèlix concordia ciues
Iam recreet, coeántque foci, coeántque penates,
Séque animi procerum tam certo fœdere iungant,
Exitia vt diræq; neces, populique furentis
Intestina odia extremos grassentur in Indos.

IOANNIS MORELLI. Epicedium.

Ad Camillam eius filiam.

QVis mihi Pieridum puro de fonte petita
Sufficiet nunc verba, quibus mulcere beatos
Aggrediar manes, & soluere iusta Morello?

Quem fortuna virum si non comes vsque secuta est,
Non tamen excelso, non illi in pectore virtus
Defuit, & sanctæ decus inuiolabile vitæ
Quem puerum Musæ Aoniis pauere sub antris,
Quem iuuenem aula, virum casti fouere penates
Formantem teneros generosi principis annos:
At melior tandem securum sortis iniquæ
Viléſque oblitum curas, neque plura petentem
Florentis virides sophiæ deduxit in hortos
Vrania, optatiſque senem mox intulit astris.
Ergo, sancte senex, mortali carcere liber
Accipis in summo iam debita præmia cælo,
Despiciénſque humiles terras penetralia Diuûm
Celsa tenes, magno loca nunc habitata Thuano,
Quem nostris ereptum oculis respublica nuper
Luxit, & elato lacrimas dedit orba parenti.
Nempe viri tanti alloquiis, vultúque beato
Pasceris, ætherióſque vnà circumspicis orbes
Arduus, híſque oculis coràm præsentia sentis
Gaudia, quæ vix olim animo sperare licebat,
Cùm grauia obstarent inuisæ pondera terræ.
Quam tamen, vt fas cumque fuit, dum vita manebat,
Vincebas, veri antè alios seruantior omnes,
Fœdáque vitabas impuri crimina secli.
Ac velut in mediæ seruatus tempora brumæ
Flosculus exacti reuocat noua gaudia veris:

Sic priscum sanctis renouabas moribus æuum.
Sed reliquas inter dotes, & quæ tibi larga
Munera dij tribuere manu, pars maxima tantæ
Laudis erat constans in amico pectore candor,
Quo doctos omnes, doctissimus ipse, fouebas
Vt licuit, neque si vires ita fortè tulissent
Sorderent steriles hac tempestate Camœnæ.
Testis erit patrij princeps & gloria plectri
Ronsardus, qui cùm exoriens, ceu primus Olympo
Lucifer, os sacrum efferet, fidénsque iuuenta
Dircæum exprimeret patria testudine carmen,
Nec tanti possent fulgorem ferre poëtæ,
Indocti, quos illa ætas inculta ferebat,
Tu primus laudare nouóque applaudere vati,
Primus & insipidæ maledicta refellere turbæ
Cœpisti, & procerum in cœtu celebrare merentem.
Quid memorem fido tibi iunctum & amore sodalem
Bellaium? quid mille alios, quorum edita passim
Scripta tuum referent ventura in secula nomen?
Et me aliquem hos inter (si Diis placet) esse volebas
Nescio quæ agresti fundentem incondita vena
Carmina, nec Musis, nec Apolline digna Latino.
Nónne triplex ergo cingat mihi pectora ferrum,
Si quantum ingenij, quantum mihi Delius artis
Inspirat, tibi, quicquid id est, non seruiat vni?
At vos ô vatum proceres, quos enthea virtus
Excitat, & mentes meliori numine complet,


Composito cineri meritas persoluite laudes,
Túque adeò tali dignißima patre Camilla,
Rara tui sexus & nostri rarior æui
Gloria, quas olim ductore parente Camœnas
Nosse datum, aërij iuga dum celsißima Pindi
Vix paucis adeunda viris, ascendere virgo
Non dubitas, sacrásque manu decerpere lauros,
Has agedum extincti celebranda in fata parentis
Ritè cie, & Stygio reuocans à limine manes,
(Quod facis) acceptæ cui debes munera vitæ
Redde vicem, & superas rediuiuum attolle sub auras.
Certè erit hoc satius, quàm vano lumina fletu
Fœdare, & longas incassum iterare querellas.
Quandoquidem non his crudelia fata mouentur,
Non si soluaris lacrimarum in flumina, non si
Tristia Mopsopiæ vincas lamenta puellæ,
Cuius in occisum pietas animosa parentem
Succeßit cælo, viuitque in secula fama.
Nam pater Actæis quondam regnator in oris
Icárius (Graij nisi fingunt omnia vates)
Dulcia inexperti primus dum pocula Bacchi
Monstrat, & ingratos hoc munere donat agrestes,
Quà virides inter Marathon patet ardua saltus,
Illum turba neci dedit ebria, scilicet haustum
Nectare sub dulci sibi credens esse venenum,
Quòd madida insolito titubarent corpora lapsu.
Fortè viæ comes & fidus canis iuerat vnà,

Qui morientis heri casum indignatus acerbum
Multa vlulans, multis latratibus aëra complens,
Currit ad Erigonen, &, qua potis, indicat illi,
(Mirus amor) simul & sua per vestigia monstras
Quà sit iter sequitur tremulis mœstißima virgo
Paßibus, atque animo iam tum præsagia sentit
Certa mali, carique subit genitoris imago.
Vt verò hunc toto proiectum corpore vidit
Examines pallentem artus & sanguine fœdum,
Tum flauas laniata comas, percussa lacertos,
Et gelidum nequidquam amens amplexa cadauer,
Téne, ait, ô genitor, téne, ô dulcißime, talem
Aspicio? quæ tandem in te manus impia tantum
Ausa nefas? nec te sacri reuerentia sceptri,
Nec generi humano tot præstita commoda seruant?
Vos ô tam miti felices nuper Athenæ
Principe, vos populi quotquot meus ille regebat
Imperio pater, & secura pace beabat,
Immani meritas à gente reposcite pœnas
(Si qua fides) tantúmque scelus ne linquite inultum.
Quò feror ah demens? etiámne humana requiro
Auxilia? ipse deus, nostro quem sæpe receptum
Fouimus hospitio, nobis non adfuit Euan.
Ilicet vna salus properata à morte petenda est.
Vix ea finierat, cùm sæuo euicta dolore
Ipsa sibi vitæ inuisæ retinacula rupit:
At superi impauidos mirati virginis ausus,

Protinus aurarum hanc leuibus per inania pennis
In sublime, canémque simul rapuere fidelem,
Et noua stellato fixerunt sidera mundo.
Te quoque sed fato meliore, Camilla, benigni
Pro pietate tua superi super ardua tollent
Sidera & humana maiorem sorte beabunt.

FINIS LIB. III.





ELEGIÆ.

Ad Scæuolam Sammarthanum.

ILLA *meo quæris fuerint quàm grata palato,*
Sammarthane, tua quæ mihi missa manu?
Sic placuere mihi tum res tum verba legenti,
Seria siue tones siue iocosa canas.
Siue elegos fundas fæcundo ex pectore versus,
Siue quod obstupeat Pindarus ipse sones,
Parcus vt in nostri laudandis vatibus æui
Mirando nequeam par satis esse tibi.

TH. B. V.



SCÆVOLÆ SAMMARTHANI ELEGIÆ.

Ad Illustriss. Principem Condensem HENRICVM BORBONIVM.

MAGNE *puer, magnis Francorum è regibus orte*
Cui micat in roseo plurimus ore pater.
Non satis est pulcræ decorari munere formæ,
Quanquam etiam hic parui non faciendus honos,
Nec satis antiquæ censeri sanguine gentis
Quæ tenuit valida Troïa sceptra manu.
Tu nisi virtuti primis assuescis ab annis
Impiger & celsa pergis ad astra via.

Qualis vbi educta est generosi seminis arbor,
Quæ latè virides explicat alta comas,
Dat nisi grata suo lætos in tempore fructus,
Nec tantum ingrati floris honore nitet.
Non illam agricolæ cultu dignantur inani,
Nulla venit sterili gratia, nullus honos.
Ardua sic magnum spargat nisi facta per orbem
Et patriam haud segni strenuus auctet ope,
Dulcia ne princeps optatæ præmia famæ
Speret & à iusta posteritate coli.
Ergò age paulatim egregiis accingere cœptis,
Et sequere ingentum fortia gesta patrum.
Nam neque tot flauas Libycum mare voluit arenas,
Aurea nec fulgens tot polus astra tenet,
Fulmina quot belli magno gens orta Capeto
Protulit, vnde patris semina prima tui.
Quid memorem his toties coniectũ in vincula Belgam,
Captáque tot bello mœnia, tótque locis?
Quid toties gelidas victricia signa per Alpes
Transmissa, aut Siculi per freta longa sali?
Non tamen vlla magis te patrum exempla mouebunt,
Acrius ad laudem nec tibi calcar erit,
Quàm magni H ENRICI *per tot iam prælia virtus*
Cognita, vel summis suspicienda Deis.
Non illi quisquam antiquus se conferat heros
Seu res consilio, seu sit agenda manu.
Quòd nisi temporibus duris hunc fata dedissent,

Qui populo erranti debita fræna daret.
Iandudum euersis lugeret Gallia rebus,
Et raperet nostras victor Iberus opes.
Interea è tenebris veluti Sol aureus exi,
Et patrias vrbes lumine sparge tuo.
Certè equidem si quid vatum præsagia possunt,
Nostra nec immodicus pectora fallit amor:
Ille eris optatæ firmes qui tempora pacis,
Aduentúque tuo nubila cuncta fuges.
Dij patrij quorum creuit sub numine quondam
Gallia vicinis inuidiosa locis.
Augustum hoc seruate genus, seruate quod vsquam est
Gallorum & fessis otia longa date.
Si qua tamen restant culpæ vestigia, necdum
Sanguinis exhaustum creditis esse satis.
Omnis ab externis quæratur gloria bellis,
Impia nec repetat ciuicus arma furor.

P. RONSARDI memoriæ S.

HÆs tibi Parisiis sacras in collibus aras,
Magne parens, grata ponimus ecce manu.
Tu patrij Deus eloquij, quo numine quondam
Pierias Francum protulit vber opes.
Ergo velut Cereri & Baccho sua sacra quotannis
Vouerat, & festos gens operata dies:

Sic tibi quotquot erunt Galli, tua turba, poëtæ,
Annua solenni carmine vota canent.
Iamque tibi primos ecce instauramus honores,
Et vitæ aggredimur dicere facta tuæ.
Vt claræ antiqua deductus origine gentis
Threicio dederis tempora prima Deo.
Vt mox & laudis meliore incensus amore
Malueris Musas Graia per antra sequi.
Nullus erat, tua qui regeret vestigia callis,
Saxa per & nullo culmina trita pede.
Tu tamen & salebras, & sentibus aspera vincis
Omnia, nec cæcum te remoratur iter.
Donec Hyanteo teneras à fonte sorores
Deducas patrios victor ad vsque lacus.
Inde vbi per medias Nymphis comitantibus vrbes
Conspicuum insigni tollis honore caput,
Protinus, vt roseo surgit cùm Lucifer ortu,
Cum tenebris abeunt astra minora suis.
Sic rudis incultos aluit quos Gallia vates,
Fugêre ad vultus lumina prima tui.
Nunc igitur laudésque hominum, laudésque Deorum
Concinis, aut blandus quæ tibi dictat Amor.
Nunc ortus rerum varios, verique latebras
Quæris, & audaci tendis in astra via.
Martia nunc resonas heroo prælia versu,
Francósque à Phrygio principe ducis auos.
Néue tibi veteres contendant laude poëtæ

Quotquot habet Latium, Græcia quotquot habet,
Nil intentatum mens indefessa reliquit,
Siue placent citharæ munera, siue tubæ.
Felices Ligeris ripæ, felicia Cosmi
Fana tui, vberibus Turóque diues agris,
Et quæcunque tuo demulsæ carmine gentes
Hausere ætherios vatis ab ore fauos.
Te nemorum coluere Deæ, te sæpe canentem
Mænaliis Faunus visit ab vsque iugis.
Te stupuit Natura parens: nec te tua cepit
Gallia, quæ tanti ciuis honore tumet:
Sed norunt latè populi, quósque vltima Thule,
Quósque alit Hesperio terra propinqua freto,
Quique bibunt Istri gelidum septemplicis amnem,
Quique Euphrate habitant & loca cincta Tigri.
Salue cura Deum, salue ipsis addite Diuis,
Vindocini æternum sidus, honósque soli.
Non tibi quærenda est alieno fama labore,
Digna nec ingenio laus satis vlla tuo est.
Tu tamen hæc cape vota lubens, seu lactea mundi
Te plaga, seu magni te tenet aula Iouis.
Et si quis tibi restat amor, si cura tuorum,
Nec te operis memorem iam piget esse tui,
Respice nos, animísque fauens illabere nostris,
Tractamus patriæ dum noua plectra lyra.

Ad Iacobum Augustum Thuanum. V. CL.

Præfatio in Elogiorum libros.

Fautor & antistes doctorum Auguste virorum,
Quo sine iam studiis nec foret vllus honos.
Dum tu longinquo Francisci à funere Primi,
Qui tenuit valida Gallica sceptra manu,
Persequeris gesta immensum quæcunque per orbem
Seu terra & pelago, seu foris atque domi,
Magnum opus & nullis vnquam delebile seclis,
Quale nec Ausoniæ Liuius ante dedit.
Ipse ego non æquis tua per vestigia repens
Passibus, ad laudem qua datur ire via,
Quod potui, doctorum hominum felicibus vmbris
Elogia hæc gratus qualiacunque tuli.
Pierias certe poteram meliora per arteis
Moliri, studiis & magis apta meis.
Nam mihi si testes fas appellare Camœnas,
Nec vetat ingenitus dicere vera pudor,
Ausus ego Italiæ facunda lacessere cantu
Ingenia, & Latio scribere digna sale.
Sed fuit hoc olim potioris flore sub æui,
Dum nouus in vegeto pectore sanguis erat.

Nunc

Nunc senij graue pondus obest, nunc debilis ætas,
Nec pote iunctorum vincula ferre pedum.
Hinc mihi sola placent numerorum lege soluta,
Quæq; magis facili tramite verba fluunt.
Sic nempe & viridi fidens qui sæpe iuuenta
Vicit in Elæo puluere fortis equus,
Languidior postquam membris illapsa senecta est,
Nec calor in cursu qui fuit ante viget,
Mollia iam tentat vacuo vestigia campo,
Et refugit metus, carceribúsque premi.
Quis scit an & doctas teneant hæc aptius aures,
Quàm leuia & teneris carmina blanda sonis?
Quicquid erit, flos lecte virûm, te pendet ab vno,
Præsidiique aura nititur omne tui.
Tu bonus exiguum veteris cape munus amici,
Quem tibi Musarum iunxit honestus amor.
At vos, illustres animæ, dignißima cælo
Nomina, quæ memori Gallia mente colit,
Dum struimus vestræ monumenta hæc debita famæ,
Quáque licet iusto fungimur officio,
Sit quamquam hoc temere nitido lucem addere Soli,
Nostráque ad laudem non egeatis ope,
Ne tamen Elysia pigeat spectare sub vmbra
Hanc curam & tenuis dona pusilla manus.
Si non ingenio, si non satis arte placebunt,
Certe animus dantis respiciendus erit.
Forsan & è vobis aliquis cum legerit, Iste

(Dicet) erit nostri pars aliquando chori.
Quámque aliis operam præstat pius, ipsa merenti
Posteritas grata reddet amica vice.

LOD. ALEALMI PRÆSIDIS Aurel. Epicedium.

ETSI *te propriis possis attollere pennis*
Iam nouus ex ipso funere factus olor.
Te tamen & seros feret Audebertus in annos,
Pieria dudum primus in arte senex.
Postulat hoc qui vos longo coniunxerat vsu
Non sine Phœbeo numine partus amor.
Sed neque non tenui nobis dicere camœna,
O simul Astrææ Calliopésque decus,
Pars animæ, Lodoice, meæ, quem tristibus vmbris
Eripit & cælo numen vtrumque beat.
Nec certè inficior, solio ius dicere ab alto
Muneris est longè nobilioris opus
Non tamen Aonij spernenda est gloria plectri,
Cuius blanda homines vis trahit atque Deos.
Errat enim quicunque togæ patribúsque seueris
Indecores Pindi iudicat esse Deas.
Aspice Bellaiúmque patrem, cui murice sacro
Cinxit honoratum Roma superba caput,
Diuinumque senem Xenij de nomine dictum,

Supremus ceræ quem decorauit honos:
Aspice & Augustum quo nunc quoque Præside fulget
Curia tot grauibus conspicienda viris.
Quis non scripta legit Latio condita lepore
Quæ variis illi concinuere modis?
Nec tua non etiam veniens mirabitur ætas,
Inclyta, Pegasei laus Alealme chori.
Tu quoque defessam post bella forensia mentem
Suetus eras sumpta sic recreare chely.
Quæque manus recta librabat iura bilance,
Hæc eadem facili pectine mouit ebur.
Non temere id præstent quibus est in pectore cautes
Horrida, Caucaseo frigidiórque gelu.
Quò fit vt ignaui pars longe maxima vulgi
Negligat Aonio fonte leuare sitim.
At quibus ingenij vena se diuite fundit
Copia, vísque animi fortior intus agit,
Non vni insistunt curæ, sed fusa per artes
Libera mens vario tramite currit iter.
Ergo vbi felicem tali se Aurelia sensit
Præside, vicinis inuidiosa locis,
O qui tum plausus totam sonuere per vrbem!
Quàm tumido lætus se Liger amne tulit!
Inde vbi crudeli conspexit funere mersum,
Quot fudit lacrymas, quot gemitusq́ dedit!
Mox tamen vt subiit patri succedere natum
Et similem studiis & pietate parem,

Paulatim sese erexit, plausúmque dolori
Miscuit, & mæstis lætitiam lacrymis.
Ceu quondam pluuio dum pellit nubila cælo
Noctem inter dubius Sol micat atque diem.
O felix anima & terræ iam erepta periclis,
Perpetuum salue, perpetuúmque vale.
Tu, si qua interea viuentum cura sepultos
Sollicitat manes, clausáque busta mouet,
Lugubres ne sperne modos, lacrymísque piorum
Tale tuo inscriptum marmore carmen habe,
Hic Alcalme iaces, ipsi fleuere cadentem
Te superi, exequias Musa Themísque ferunt.

NOMINE DANIELIS VARENI
ad bustum Laurentij
patris, Lacrymæ.

AT me nec tanto ingenio Natura beauit
Et si quod fuerat perculit ipse dolor,
Quicquid inest tamen id meritò tibi seruiet vni
O decus, ô vitæ fons & origo meæ.
Impius est quisquis non illum in funere luxit,
Ipse à quo nitidæ munera lucis habet.
Hinc sacra feralis quondam spectacula pompæ
Officij memores instituistis aui.

Sic pius Aeneas rediuiuæ gloria Troiæ
Manibus in Siculo rite parentat agro.
Sic tibi pro ludis solennibus (hoc mihi quando
Res angusta negat) carmina pauca fero.
Sunt tamen & nobis (sed sors leuis omnia versat)
Sunt etiam claræ stemmata prisca domus.
Quáque pater largo restagnans gurgite Nilus
Arida flumineis imbribus arua rigat,
Si qua fides, veteri gens nobilitata Canopo
Sæpe memor nostros nunc quoque iactat auos.
Vnus & insignis facie & florentibus annis,
Amplarúmque domi diues Orebus opum,
Auctus Reginæ thalamis, quà surgit in auras
Alta Pharos, longo tempore iura dedit.
Non illo quisquam fuit obseruantior æqui,
Nec minus ad Martis classica promptus erat.
Sed potius duxit tranquilla per otia vitam
Degere, & Aonidum mollia castra sequi.
Cælorum motus varios & nomina norat,
Quæq; fauent homini lumina, quæq; nocent.
Verùm vbi diuisas sacra in contraria mentes
Illusit ficto numine vanus Arabs,
Hinc intestinis odiis & bella sub orta,
Plebis & ingrata mente fugata fides.
Non tulit hanc speciem generosi pectoris Heros,
Dúmque ferox læuo corripit arma Ioue,
Cum vita imperium amisit, consorsque iugalis

Fida thori similem sensit & ipsa vicem.
Filius his prima vix signans ora iuuenta
Iosippus miseri mens & imago patris,
Antiquæ patriæ quem debita sceptra manebant,
Si modò sors patriæ quæ fuit antè, foret.
Quid faciat regno charisque parentibus orbus?
Cessit, & in subita spes fuit vna fuga.
Huic se addunt pauci comites, quæcunque parati
Tristia cum profugo Principe fata sequi.
Quid loquar ingentes animique & corporis æstus
Multaque perpessos æquore, multa solo,
Donec defessi tetigere Ligustica tandem
Littora, quæ longæ meta fuere viæ?
Hinc serie longa multos succreuit in annos
Nobilibus soboles continuata viris.
Quorum si tenues minuit sors improba census,
Vis tamen in forti pectore auita fuit.
Non secus Hercinij longinqua per auia saltus
Quà surgit patula plurima sylua coma,
Cæsa licet ferro plerunque repullulat ilex
Frondosumq; nouo tollit honore caput:
Illa quidem aërias non tam sublimis in auras,
At vigor in foliis qui fuit antè, manet.
Tuq; adeo ante omnes duro spectate Gradiuo
Multa, Camille, tuo sanguine digna geris.
Nec melior quisquam seu respendenda sagaci
Consilio, valida seu peragenda manu.

Dumque altas superans multis cum millibus Alpes
Fortis in Alphonsum Carolus arma mouet,
Tu quoque pars aderas huius non vltima palmæ,
Multa vbi virtutis das documenta tuæ.
Nec minus & pulcer iam pubescente sub æuo
Hærebat lateri gnatus Aristo comes,
Musarum noua cura puer, qui bella perosus
Miles Hyantæi maluit esse gregis.
Protinus hunc studiis vna communibus omnes
Duxerunt auidum per loca sacra Deæ.
Iam virides Hæmi saltus, iam tota patebat
Quæ fluit è bifido leniter vnda iugo.
At sibi tranquillos dum spondet credula cursus
Quàm penè est rapido turbine mersa ratis!
Principis exilium temerè comitatus amici
Multa procelloso tempore dura tulit.
Vis tamen illa animi constans in sede remansit,
In medio rupes vt manet alta freto.
Donec plenum annis, opibusq́, & honoribus auctum
Merserunt placido funere fata senem.
Huic bissena oculos clauserunt pignora, quorum
Et tu chare parens ordine primus eras.
Ipse etiam addictus placidis ante omnia Musis,
Horrida nec Getici natus ad arma Dei.
Mille tibi vnde artes, seu quicquid nobilis Hellas,
Siue placet Latium nobile quicquid habet.
Illa quidem Ausonij diuina scientia iuris

Prima fuit puero cura, nec vna tamen.
Non bene fortis equus contractis paret habenis,
Nec patitur gyro se breuiore premi.
Non bene collectos Tiberis capit auctior imbreis,
Aggere nec claudi sustinet vsque suo.
Ergo & secretas iuuit perquirere causas,
Et pia Pœonij sensa aperire senis.
Iuuit & à prima surgentis origine Romæ
Fortia magnanimûm facta referre ducum.
Sæpe etiam magni penetrans sacraria Pauli
Quæ sit vera homini quæris & vnde salus.
Sæpe leui alternans grauiora negotia ludo
Aonium docto pollice tangis ebur.
Et media procerum poteras in luce nitere,
Quos apud ingenij nomine clarus eras.
Conscia sed virtus sibi plus satis ipsa placebat,
Ceu nulla externæ sortis egeret ope.
Hinc adeo indignata procul fortuna recessit,
Nec tribuit rebus tempora læta tuis.
At saltem exactos æui post mille labores
Fata magis placida morte perire darent.
Nec te porrecto manus exitiosa veneno
Ante diem Stygias cogeret ire vias.
Impie, quis te adeò infandus quis compulit error
Tam sacrum auderes vt violare caput?
Nec te coniuncti reuerentia sanguinis vlla,
Nec tenuit sancto debita iure fides?

Non tamen effugies: viden' vt funale cruentum
Iam rotet ante oculos torua Megæra tuos?
Aut cruce tu coruis epulum pendebis ab alta,
Aut meritas pœnas hoc dabis ense patri.
Sic Phrygium fundens ad busta paterna cruorem
Pyrrhus Achillæi sanguinis vltor erat.
Cúmque foret virgo fraterni criminis insons,
Morte sua pœnas non minus illa dedit.
Ah! quoties conata hostem lenire precando
Flebilis inuisos concidit ante pedes!
Parce precor, si qua est pietas, dux inclyte, parce,
Neu sortem innocuo sanguine tinge manum.
Hæc ait, & riuos lacrymarum effundit inaneis,
Implorátque Deûm sæpe, hominumque fidem.
Ille animum iusto vindictæ incensus amore
Tam blandas rigida negligit aure preces.
Plectitur infelix alieno crimine virgo,
Vsque adeò superis displicet omne scelus.

Lusus in amorem vetulæ.

QVicunque ille fuit, monstrum qui dixit Amorem,
Crede mihi vero verior ille fuit.
Quàm varias prima me semper ab vsque iuuenta
Egerit in formas si numerare velim,
Scribentem variis tot tantáque monstra figuris

Deficietque manus, deficietque dies.
Nec tamen ex illis fuit aut molestior vlla,
Quàm quæ nunc animum sollicitudo premit.
Eheu quàm cæco pectus mihi carpitur igni!
Credo erit à sola morte petenda salus.
Quippe (quod est mirum) non has mihi candida flāmas
Virgo mouet, flammas quæ leuet ipsa meas.
Verùm anus (ô pudor) & priscis æquæua Sibyllis,
Iam nihil ipsa calens est mihi sola calor.
Debueram certè melioribus ignibus vri,
Sed fuit hæc fastus pœna secuta meos.
Nam Veneris cæcas penitus deponere curas
Mens erat, & Clario corda vouere Deo.
Quis nescit sexus vitium? cum spernere multas
Inciperem, multis virginibus placui.
Sed placui frustra, stabat mihi robore pectus
Durius, & nullis mobile blanditiis.
Exarsit subitò contempti numinis ira,
Dum, mihi quas flammas obiicit, abiicio.
Nec mora, qui spernis dignas ardore puellas,
Accipe quid læsi numinis ira queat.
Dixit, & ex vetulæ toruum spectantis ocellis
Egit in hoc miserum tela sinistra caput.
Nunc cogor canos mirari sæpe capillos,
Rugosasque genas, pallidulumque labrum.
Nec mihi (sic sum amens) laxus sinus iste videtur
Esse, nec os vacuum dentibus esse suis.

Quinetiam precibus nostris elata superbit,
Séque aliquam, sit quòd iam illa rogata, putat:
Amplexúsque fugit nostros, roseísque labellis
Ora licet buxo pallidiora negat.
Quidni autem mea lux? certè decor iste senectæ
Me iuuat, & merito me mihi surripuit,
Et meritò precibus nostris dignißimus vnus
Conficit hac longo nos in amore siti.
Nónne etiam cana est & tota argentea Luna?
Illa tamen reliquis ignibus vna præest.
Esse puto dentes, nulli tamen esse putentur,
Liberior linguæ cursus in ore tuo est.
Nec suus & non est rugis decor ignea circum
Lumina, Phœbeos dum referunt radios.
Vt tamen ista iuuent oculos animúmque furentem,
Est in tam sicco corpore nulla Venus,
Et licet illa meis accedat candida votis,
Certè nullus habet languida membra calor.
Hei mihi quisnam igitur finis sperandus amanti,
Finiat ardores mors nisi sola meos?
Si quis adhuc vsus Medeæ mansit ab arte,
Et quisquam magico tanta labore potes:
Te per ego Veneris benè notos omnibus ignes,
Quos qui non sentit sentiet ille nihil,
Fac precor exutam rursum induat illa iuuentam,
Et liceat veris flore nitere seni.

Tunc ego crediderim vestris seruire parentem
Naturam, atque Deos, atque elementa sacris.

Ad Baronem Chrysæum.

TE quoque ne pigeat, Chrysæe, sequentibus annis
Pierios inter nomen habere choros.
Ipsa licet lituos tantum nunc Gallia curet
Fœta viris, quorum Martia corda calent.
Non tamen hinc laudum ampla seges, non vera petenda
Gloria, nec forti præmia digna viro.
Hæc fuerant olim, dum patrum mascula virtus
Adderet imperiis extera regna suis,
Dúmque illam tremerent Arabes, Phœboq́; propinquus
Orbis & Eoæ regna beata plagæ.
Nunc periit solidæ laudis generosa cupido,
Discordesque animos impius ardor agit,
Hoc tantum vnanimes, quòd pro se quisque superbas
Antiqui imperij perdere tentat opes.
At placidi vates monstra hæc immania vitant,
Tractantque innocua mollia plectra manu.
Felix ille, adeò quem Iupiter æquus amauit,
Vt dulci Aonidum possit amore frui.
Non illum in iustæ franget vis improba sortis,
Non dubio euentu spésue metúsve prement.
Illum & sublimorum pandentem arcana Deorum


Omnis certatim sexus & ordo colent.
Cumque aderit suprema dies non totus obibit,
Nominis at longo tempore viuet honos.
Huc ades ô dilecte Deo, dilecte Camœnis,
Inuisumque feri desere Martis opus.
Te sacri reuocant fontes, te culmina nota,
Mulcerique tuis vocibus antra petunt.
Victricem quærant alij per vulnera laurum,
Hanc amo quæ nullo sanguine tincta venit.

FINIS ELEGIARVM.





EPIGRAMMATVM
SIVE LVSVVM
Libri duo.



CL. V.

IACOBO AVGVSTO THVANO, SENATVS *Parisiensis Præsidi.*

NON satis nobis fuit in malis versibus pangendis tempus & operam conterere, nisi etiam lusus nostros in apertum proferremus, & quidem iniquo malignóque seculo. Porrò dum eos colligimus & adornamus placuit exẽplum Varronis imitari, qui ne à grauioribus ad leuiora regressus videretur, quæ de rebus diuinis erant vltimo loco reposuit. Itáque sacris Hebræorum canticis, quæ Latinæ consuetudini à nobis tradita sunt, præposuimus ea quæ ad relligio-

nem non pertinebant. Quo in numero fuerunt & Epigrammata, quæ tibi, vir clarissime, offeruntur : non digna illa quidem tanto viro, cui vix vllum in hoc tòto scribendi genere hac ætate parem agnoscimus. sed eò certè minus displicitura, quòd vt exilia, sic breuia, non adeò longam tibi molestiæ occasiōnem datura sunt.

SCÆ-



SCÆVOLÆ SAMMARTHANI EPIGRAMMATVM

Liber primus.

Ad Amplissimum v. PHILIPPVM HVRALTVM Cheuernium Franciæ Cancellarium.

CLARE senex, veteri cui ductus origine sanguis
Armoricos longo stemmate iactat auos.
Cuius & in dubiis Regi prudentia rebus
Cognita, & aduerso tempore certa fides,
Supremum hoc meruere decus, regnique labantis
Molem ingentem humeris imposuere tuis.
Si vacat, & grauium magna inter pondera rerum
Aonij memorem non piget esse chori,
Hos etiam tenui quos edimus arte libellos
Sume lubens, vatis dulce iocantis opus.
Quid vetat ingenuis post seria lusibus vti,
Ingratásque hilari pellere fronte minas?
Dura tot humanam vexent cùm tædia vitam,
Tristia qui lætis temperat, ille sapit.

Ad Iacobum Gilotum primæ notæ Senatorem.

Vos ô grati animi bonæ ministræ
Gilotum Charites adite & illi
Nostram, quà licet, approbate mentem:
Me nempe immemorem nec esse nuper
Accepti officij, piæque curæ,
Dum nos iudicio tuetur æquo,
Nec porrò vnquam aliis futurum in annis.
Sed & vos etiam bonæ Camœnæ
Vestram huc ferte operam, sacróque Pindo
Nitentes legite vsque & vsque flores,
Vnde his pro meritis, mei Giloti
Ornem conspicua caput corona.
Certè illum, mihi vita dum manebit,
Faxo omnes celebrent canántque gentes,
Ni sim fors ego tam malus poëta
Quàm iudex bonus est meus Gilotus.

Ad Franciscum Sanlucium Picardiæ Proregem.

Ne tibi qui desit referas vt totus Achillem,
Dum pia pro patria fortiter arma geris.
Quondam etiam dulces Musæ digressus in hortos,
Aonium pàtrio pectine tangis ebur.

Nec placidam tractare chelyn post horrida bella
Negligit hostili sanguine tincta manus.
Quos titulos, quæ non meruit præconia laudum
Quique canenda gerit, quique gerenda canit?

Beluilij tumulus ad Margaretam eius sororem.

Alter eram Mauors, cæli me in templa recepi;
Terra parum sedes quòd foret apta Deo.
Mirarisne soror mihi cum sit & altera Pallas
Cur simili mecum non petat astra via?
Scilicet in terris homines miserata remansit;
Exemplo mores formet vt illa suo.

In quosdam huius ætatis scriptores.

Quid iuuat obscuris inuolucre scripta latebris?
Ne pateant animi sensa, tacere potes.

Lusus.

Lasciuo lasciua mihi dum basia iungis,
Et repetit cursus mutua lingua suos,
Concipio dulci in coitu, seque humor in vnum
Colligit, inque meo corpore corpus alo.
Haud secus ac Libycis in collibus ipsa per ora

Concipit optato vipera iuncta mari.
Quod mihi corpus inest, reor esse Cupidinis illud,
Vsque adeò implacidum sentio quàm sit onus:
Et vereor simili ne tecum vipera fato
Iste meæ fœtus sit mihi caussa necis.

Ad Nicolaum Rapinum.

Vobis, Parisij, quid imprecabor,
Qui meum rapitis mihi Rapinum?
Sed vobis quid ego audeam imprecari,
Quando vos meus incolit Rapinus?
Certè quod licet, orbus vt fideli
Turtur compare, iugibus querellis
Latè Pictonicas replebo siluas.
Accurret Dryadum chorus, suúmque
Emirabitur insolens poëtam
Solum errare per antra, pérque valles,
Solum errare per arua, pérque colles,
Orbatum vnanimi sodale, quicum
Alternis patrios Deos canebat.
Felix interea, Rapine, felix,
Diuino alloquio fruere magni
HARLÆI, *neque te vlla iam tenebit*
Nostri cura, sed immemor tuorum
Spectabis propius nouem sorores,
Quæ iam saltibus Aonum relictis
Amant Sequanicas tenere ripas.

At vos (quandoquidem ipsa si quid vsquam
Nutrit Gallia rari & elegantis,
Vobis continuò arrogatis illud)
Vos ô Parisij vnicum potentis
Europæ iubar, vrbiúmque lumen,
Meum reddite vel mihi Rapinum,
(Nam vester quoque factus ille ciuis)
Vel me reddite vos meo Rapino,
Vt fiam quoque vester ipse ciuis.

De Anchise & Venere.

DVm fouet Anchisem amplexu formosa Dione
Ardet, & in mediis ebria deliciis
O, ait, & superæ sedes & sancta Deorum
Aula vale, cœlum nunc erit Ida mihi.

Ad Remigium Bellaqueum.

ANte quidem lepido referebas carmine totum
Anacreonta, Remigi,
Nunc etiam similis magis incipis esse, quod alba
Canent vt illi tempora.
Discrepat hoc tantùm, quòd sobrius ebria cantas
Senis faceti pocula.
Quòd si de solito quid forte pudore remittas,
Musisq; iungas Liberum,

Quàm bene vinosus superares vina canentem,
Qui siccus illum sic refers?

Ad Germ. Audebertum.

AVdeberte nouem sacer Camœnis
Quæ te depereunt senem puellæ
Quantum qui valida vel in iuuenta
Plurimùm potis est amari ab illis,
Perlegi aureolum tuum poëma,
Quo Cenallitios Myronis hortos
Vehis Romuleo sub astra cantu.
Sed quid hoc sibi vult? meámne quæso
Censuram exigis, & bonus poëta
Subis iudicium mali poëtæ?
Præsertim tibi cum sit ille præsto
Iudex optimus, optimúsque vates,
Vestræ Præsidium Alealmus vrbis,
Cuius, si sit opus, potes fideli
Stare consilio. Sed ipse nullis
Eges consiliis satis tibi vnus.
Qui dum carmine delicatiore
Florentes celebras Myronis hortos,
Sertis Aonidum caput reuinctus
Ipsis floridior nitescis hortis.

Gul. Britoni Niuernensi.

CVm fortuna vices, Gulielme, celerrima mutet,
Nunc premat, inde iuuet, nũc iuuet, inde premat.
An secura homini potis est contingere vita,
Qui mala vel patitur, vel patienda timet?

Ad Senatum cùm Pædotrophiæ opus inchoatum illi offerrem.

NOstra licet medio consistant carmina cursu,
Non tamen inceptum Musa reliquit opus.
Scilicet hanc domini lis importuna moratur,
Quam mouit tectis dira nouerca dolis.
At vos, conscripti ô patres, clarissima Iuris
Sidera, & antiquæ lux rediuiua togæ,
Errorum expulsis tenebris perquirite verum,
Nec sinite iniusto fasque piumque premi.
Quæque adeò tanti non vltima gratia facti,
Tollite damnosæ tædia longa moræ.
Hoc noster querulis poscit vagitibus infans,
Atque intermissam postulat æger opem.
Vos si nulla mouent insontis vota poëtæ,
At miseræ ætati debitus adsit amor.
Sic vobis si qua est soboles hanc numina seruent,
Nec turbet placidas vlla nouerca domos.

Mariæ Gilotæ Tumulus.

Corpus hic Mariæ iacet Gilotæ,
Qua nec vlla magis venusta vixit,
Qua nec vlla magis pudica vixit.
Sed venusta licet, licet pudica,
Quantos illa diu tamen tumultus,
Quantos illa diu tulit labores!
Nec illam grauis abstulit Senectus
Maturam, placido dedit ve letho:
Sed ipsa grauior lues senecta
Inuasit iuuenem, velútque duro
Tactum vomere flosculum peremit.
O qui me Elysias agat sub vmbras,
His vt poßim oculis pios videre
Applausus, animam quibus recentem
Beati excipient subinde Manes!
Te nos interea, Gilota, flemus,
Flemus, & Superos monemus ipsos
Ne quid fingere pulcri & elegantis
Tanto iam studio & labore curent,
Cùm vis indomiti superba fati
Statim hoc deleat, & nefario ausu
Lethæas trahat obrutum sub vndas.

Ad Theodorum.

QVas mihi tu tribuis, vir laudatißime, laudes
Non ego sic sum amens vt meruisse putem,
Sed fruar ipse lubens hoc laudum munere, quando
Iure tuo mihi das id quod, amice, tuum est.

In B. Irlandi Consiliarij Regij librum de Emphasi & Hypostasi.

DIua potens veri, virgo Ioue nata parente,
Fidus in æterno quam fouet ille sinu,
Quam solæ aspiciunt meliori lumine mentes,
Aurea siderei queis patet aula patris.
Cernis vt ignauum latè diffusa per orbem
Humanum obsideat nox tenebrosa genus?
Vt mentita tuum species vanißima numen
Nos trahat obiectu decipiátque suo?
Ecce tamen vindex, qui te in tua iura reponat,
Astrææque sacris talia monstra fuget
Consultus legum Irlandus, dum pectore puro
Te colit, & vultûs ardet amore tui:
Auspice dum Huralto (cui te formosa videndam
Exeris & facili numine tota pates)
Ipsum animo cœlum petit vt te, Diua, fruatur,

Perfuſuſque tua nos quoque luce beet.
Ecquid erit precij tanto pro munere, cuius
Certus in hoc dubio tempore fructus erit?
Si qua venit certè generoſis gratia cœptis,
Veri aſſertorem gloria vera manet.

De Cormeria.

COr mea Cormeria eripuit mihi, ſi cor habebam:
Nam cor dum eriperet tunc mihi non cor erat.

Ad Iacobum Grenerium.

NOn ego difficilem poſſum laudare puellam,
Sed neque, ſe facilem quæ dat, amica placet.
Illa parit flammas, parit hæc faſtidia flammæ:
Sic amor vnde vrat pectora ſemper habet.

Ad Petrum Forgetum Regis à ſacris mandatis.

FOrgete optime, ſi meus potis ſit
Fari Henriciolus, tibi perennes
Gratias agat, alteri vt parenti,
Qui ſuſceperis hunc ſacras ad aras,
Rite dum pius abluit ſacerdos
Antiqui ſcelus impium parentis.

Sed nati genitor vices obido,
Tibique omnia fausta comprecabor.
Ne qua vis tibi forte, dum feroces
Vasconum petitis per arma gentes,
Fatorum ingruat, inuidæque sortis,
Sed vota ad tua res fluant secundæ &
(Quod præstãs meruit tua illa virtus)
Sospes innumeros eas in annos,
Donec quam nequiit tenellus infans
Dicat iam ille senex tibi salutem.

De Victoria Ioëusæ ducis in Andibus.

DI patrij, quorum auspiciis trepidantia victor
Agmina & armatos perculit Anna duces,
Hæc spolia, hæc vestris dona haud indebita templis
Dedicat, inuicta digna tropæa manu.
Ille quidem & pauidum Ligerim firmauit, & omne
Litus, & Andinæ culta propinqua plagæ.
Vos si qua est pietas & tanti gratia facti,
Nec periit patriæ nomine partus honos,
Vos facite vt magni meruit quem Regis amorem
Seruet, & huic solita seruiat vsque fide.

Ad Iacobum Guellæum v. c. Cognitorem Regium in Senatu.

QVo tuus antè parens, nunc munere clarus eodem
Fungeris, acceptum continuasque decus.
Quæ tamen ille senex duri post longa laboris
Tædia, virtutum præmia sera tulit,
Hæc tibi vel iuueni tribuunt dum mitia fata,
Macte animo, spondent & tibi plura seni.

C. Ruellio qui librum ediderat in historiarum scriptores.

HIstoriam meritis minuis dum laudibus, ipse
Dignam perpetua rem facis historia.

Ad Lemouices.

CErne vices rerum varias, occultáque vires
Natura vt mira proferat arte suas.
Qui rudis incultis Lemouix in montibus olim
Rapa modò ediderat, castaneásque nuces,
Hoc demùm insolitos depromens tempore fœtus,
Aemula Romanis edidit ingenia.

Hic mihi erunt testes Musis gratissima mille
Nomina, quos tellus hæc habet Hesiodos.
Gardius ante omnes, & Graij Bosius oris
Atque Secundi animam qui Betolaudus habet,
Vt taceam Auratum patrem, plenissima cuius
Copia Pierias vndique fundit opes,
Auratum à quo vno vatum, ceu fonte perenni,
Gallorum Aonia labra rigantur aqua.
Te quoque quid memorem, fruitur quo Romula tellus,
O decus, ô secli Varro, Muretè, tui?
Vos ergo incultæ longè cultissima gentis
Ornamenta aliis inuidiosa locis,
Viuite, duplice vos titulo mirabitur ætas
Postera, virtuti si suus extet honos.
Primus honos doctas animum potuisse per artes
Excolere, est rarum scilicet illud opus:
Hoc autem crasso potuisse sub aëre natos,
Alter honos, rarum nec minus illud opus.

Montani ducis Tumulus.

Mœnibus egressum infestis dum persequor hostem,
Plumbeolo lethum venit ab orbe mihi.
Sed me hinc vita manet totum celebranda per orbem,
Quique orbis damnum sarciat orbis erit.

P. Fuluij Tumulus.

IAm valete ioci, valete lusus;
Iam valete sales, valete risus.
Nam si certa satis fides Metello,
(Verum certa nimis fides Metello)
Fuluium inuida sustulere fata.
Fuluium aureoli patrem leporis,
Fuluium Aoniis sacrum Camœnis;
Nec tibi bone non sacrum Lyæe
Nobis inuida sustulere fata.
Gratulor mihi quòd fuit negatum
Tam triste his oculis videre funus:
Haud enim fueram satis futurus
Huic planè intolerabili dolori.
Nunc qui vate locus tumet sepultò
Cùm per fata oculis meis negetur;
Illum mente adeo, piásque amico
Persoluo inferias, piúmque luctum;
Et dico bona verba, lacrimísque
Solum mollio, quod tegit iacentem.
O quàm nunc merito, pióque fletu,
Petronilla, tibi rubent ocelli!
Tuas delicias, tuúmque vatem
Non solùm tibi sæua sors ademit,
Sed & cum domino perire iußit
Versus tot lepidos & elegantes

In quibus tua forma sic nitebat
Expressa, Vt vitreis nitent in Vndis
Vultus candiduli, venustuliq́;
Haurientis aquam manu Napææ.
At tu si sapis, ô puella pulcra,
Centum basia nunc Mesoniero,
Mille basia nunc dabis Metello,
Vt functi officio boni sodalis
Sparsa carmina colligant, & edant
In lucem, faciántque iam sepulto
Quod vellent fieri sibi sepultis.
Interim vaga mens boni poëtæ,
Quam de corpore tam citò hinc fugauit
Lues insoliti pudenda morbi,
Errabit loca per tenebricosa
Damnans improbulos amoris ignes,
Quos vrbis dubiæ mouent puellæ,
Laudansq́; ingenium Mesonieri,
Sola cui caprimulga cor perurit,
Et sanißimus ipse mente cùm sit
Sana vult quoque mentula vigere.

Ad Steph. Iodelium.

SEu dulces modulare modos, quis blandior alter?
Seu rerum causas aperis, quis doctior alter?
Horrida seu ferus arma moues, quis fortior alter?

Ad St. Pascasium Rationum Regiarum patronum.

Disertissime Pascasi & patronos
Consultissime iuris inter omnes,
Dignitate quòd auctus es recenti
Quis hoc sortis opus fuisse credat?
Immò qui ratione praestat vnus
Hunc vnum rationibus praeesse
Iamdudum Ratio ipsa postulabat.

De P. Felice.

Quaeritis vxorem fugiat cur ducere Felix?
Hoc sine iactura nominis ille nequit.

Ad R. Bochetum.

Qvid non cogit amor? meus Bochetus
Linquit ecce domúmque, liberósque,
Linquit coniugis ora tam placentis
Vt sit ipsa minus placens venustas,
Quósque deperit haud minore cura
Libros deserit, otiúmque dulce,
Vt me bella per & feros per enses
Per incommoda mille me sequatur.

Quin

Quin secum & Charites, bonásque Musas
Adducit comites, quibus cruenti
Martis impia sacra temperemus.
Quibus pro meritis quid huic rependam?
Nisi vt quem pius antè diligebam,
Nempe auunculus optimum nepotem,
Nunc penè hūc quoq; plus amem vel ipsa
Domo, coniuge, liberis, librísque?

Fr. Prothei Tumulus.

TVmulo sub isto Protheus sepultus est,
Non ille, nodo quem teneri nescium
Mutari in horas Graia personat Chelys.
Sed alter, vno qui manebat in statu.
Vt cui perennis membra mulceret sopor.
Res mira dictu, seu dies, seu nox foret,
Quodcunq; agebat, hoc agebat dormiens.
Nec interim illi defuit vis maxima
Mentis sagacis, qua suis clientibus
Ferret patronus rebus in duris opem.
At fuerit ille quamlibet sagax, tamen
Vitalis ista vita non est (inquies)
Sed vera imago mortis. immò falleris,
Humana vita cùm merum sit somnium,
Benè dormiendū est, viuere vt possis bene.

Ad Petrum Ronſardum.

AEmula dum Latiis Ronſardi Gallica noſtri
Conor ego in Latios vertere ſcripta modos,
Me vis maior agit ſolito, ignotáſque per auras
Abripit hinc tanti ſpiritus ille viri.
Quíque prius proprio cùm plectra furore mouerem,
Vix bene ſum notæ ſerpere viſus humi,
Summa feror ſuper aſtra: iuuat quoſcunque poëtas
Deſpicere, & ſacri pectinis eſſe patrem.
Sic olim ætheriis aquilæ dum regulus alis
Suſcipitur, reliquas deſpicit altus aues.

Themidi votum pro Abele filio.

DVlcibus Aonidum nobis eductus in antris,
Molliáque aſſuetus plectra mouere puer,
Nunc citharam abiiciens, veterúmque oblitus amorum,
Se tibi, magna Themi, tempus in omne dicat.
Tu Dea, ſi niueos huic dant ſua ſemina mores,
Ingeniúmque aptum qua libet arte coli,
Da ſtudij faciles curſus, templíſque ſacerdos
Pura tuis olim fac tibi ſacra canat.

Ad Henricum Memmium v. c.

DVm noua mutatas in corpora dicere formas
Gestio, quod tenuit Naso secutus iter.
Non tamen Argolicæ referens mendacia gentis,
Vera sed æterno quæ Deus ore canit.
Ante alios vno tenuis te vindice Musa
Difficiles audet carpere tuta vias.
Quippe aliquid nostros numeros, clarissime Memmi,
si quid forte olim lusimus, esse putas.
Tu genium mihi concilias, Heliconáque totum
Pandis & insolito corda furore moues,
Quémque vident tanto vatem censore probari,
Certatim Aonides Phœbus & ipse iuuant.

Ioan. Passeratio.

SIc quæ carmina, docte Passerati,
Concedunt faciles tibi Camœnæ,
Quem plausum meruere consequantur,
Inuitis ego quæ exarata Musis
Nostro carmina Memmio dicaui
Illi candidus offeras precamur,
Absentísque obeas vicem sodalis,
Commendésque meos bonus labores.
Qui si iudice Memmio probentur,

Certè non fuerit mihi verendum
Quin quouis hominum probante, plausum
Vel quem non meruere consequantur.

In Legem Molinæam de abroganda testium fide.

CVm nullum humanæ diuino munere vocis
Manarit supera maius ab arce bonum,
Cúmque adeò ipsius tantum sit vocis imago
Scriptura, ambiguis res male certa notis,
Quis furor est pondus vocali demere testi,
Et solidam mutis rebus habere fidem?
Prodigij simile est non credere vocibus ipsis,
Et vocum interea nos simulachra sequi.
Quid facias? ita sunt mores, ita tempore nostro
Aut vana, aut vanis proxima quæque placent.
Non vero, at sola gaudemus imagine veri.
Non res ipsa, rei sola sed vmbra iuuat.
Prouidus hinc Princeps, prauíque haud inscius æui
Apta suo nobis tempore iura dedit.

Ioan. Bocello cum visum recepisset.

REs passim obscuras claro dum lumine spargis,
O lux, ô patrij fama Bocelle fori.

Inuidit ſeſe tibi lux, longúmque negauit,
Prodigus acceptæ tu quia lucis eras.
Sed quia nulla fuit lux nil cernente Bocello,
Se, ne ſe careat, reddidit illa tibi.

Luſus.

VNde ſub hiberno formoſum ſidere cælum
Quale ſolet medio vere nitere, nitet?
Nec ſecus ac niuei lucent dum cornua tauri
Temperat auratas pulcer Apollo faces?
Ipſa ſuis cohibent ſe decreſcentia ripis
Flumina, & exiguo leniter amne fluunt,
Maturanſque vices, gelidúmque oblita Decembrem
Natura inſolitos pandit aperta ſinus.
Fallor? an hoc noſtri faciunt incendia cordis,
Quique nouus tanto ſurgit ab igne vapor?
Nam collata mihi poterit frigere videri
Fumida ſulphureis quæ calet Aetna iugis.
Quòd ſi me bruma in media qui torridus vrit
In rapidæ æſtatis tempora duret amor,
Iam Phaëthonteæ redeunt incommoda flammæ,
Nec geminos æſtus qui ferat vllus erit.

Aureliæ ad Magnanum.

QVid gemis ignauo corrumpens lumina fletu,
Magnane, & placidos non ſinis ire dies?

Sicci̧ne communi tua vis in amore fatiscet,
Quodque puella fero non vir & ipse feres?
Nam quid dißimulem, cum sese viuidus ignis
Prodat, & in vultu luceat vsque meo?
Ipsa mihi ingenuè videor debere fateri
Vulnera, quæ ingenuus tam bene fecit amor.
Dum patris amplexus petit impia Myrrha nefandos
Secretum tacita nocte capeßit iter.
At quæ legitimi suspirat gaudia lecti
Deserta in patriis montibus Alcione,
Ipsum inter medios in aperto litore nautas
Non dubitat clara voce vocare virum.
Ille autem, heu cæcas mentes! heu nescia corda!
Voluitur insano mersus in Oceano.
Ah tibi ne similis noceat fortuna vaganti,
Ah fera ne cœptis cursibus obstet hyems!
Quod seu contingat, seu te bona sidera seruent,
Quicquid eris, memorem te iuuet esse mei.
Dúmque vagum procul hinc errans imitabere Vlyssem,
Penelopen certa consequar ipsa fide.

In Liuorem, ex Greco.

PEßima res liuor, sed enim laudatur in vno,
Inuida nam vltrici pectora tabe ferit.

In Mezentium.

CVm sis Deûm contemptor impurißimus,
MeZentij te nomine appellém lubens.
At ille fortis vir fuit, tu semiuir.
Dicam ergo Gallum, membra cum careant viro?
Atenim sacerdos Gallus est matris Deûm,
Tu sacra nulla credis, & nullos Deos.
Dicámne scurram, quòd iocis vernilibus
Aliena captes impudens cibaria?
At scurra licet illiberalis, attamen
Caret veneno, tu venenum totus es.
Hæc dum reuoluo mente, ridens Cynthius,
Quin abige, dixit, pectore hanc curam tuo.
Frustra laboras nomen eius quærere,
Qui nebulo planè nullius sit nominis.

C. Cantoclaro libellorum supplicum Magistro, cùm ambo ægrotaremus.

QVam bene certa fides à prima ætate medullis
Méque tuis potuit figere; téque meis!
Nimirum sua cuiq; licet sint membra, suumque
Corpus, at vna tamen vita duobus inest.

Nec potis insidias tibi Mors inimica parare,
Quin simul insidias & paret illa mihi.
Sed tamen hoc frustra, nam cùm virtutibus æques
Heroas, certè nescius ipse mori es.
Communisque mihi cùm tecum vita supersit,
Per te etiam fio nescius ipse mori.
Vt mortem effugias, tales tibi cautus amicos,
Quisquis es, exemplo iungere disce meo.

In P. Nancelij poëma de Ieiunio.

TAm sacris epulis tua nos Ieiunia pascunt
Nanceli, docti docte parentis amor,
Vt (mirum dictu) quò quisque indulserit illis
Largius, hoc fiat sobrius ille magis.

Ad Germanum & Nicolaum Audebertos patrem & filium.

QVo te prosequar, Audeberte, versu?
Linguarum ô decus, ô pater leporum,
Secli munditiæ politioris,
Quod Bezas tulit & tulit Macrinos,
Auratos tulit & tulit Muretos,
Qui de te meritum nihil poëtam
Illis versibus aureis beasti,

Quibus se ipse Maro putet beatum.
Nec debere putem hoc meis Camœnis,
Nam quid crassius, inficetiúsque est?
Verùm me tibi, quo fauore Musas,
Musarúmque fouet pios alumnos,
Commendauit amicus ille noster
Landuza optimus omnium virorum,
Qui cum publica & vsque & vsque curet
Notus regibus, & grauissimorum
Molem sustineat negociorum:
Non potest tamen illa vis sagacis
Beata ingenij carere dulci
Musarum studio: hinc piasque Musas,
Musarúmque fouet pios alumnos.
Nec me non licet vltimis minorem
Dilaudare solet bonus, sed illi
Non sum credulus, & tamen vocatæ
Si quid fortè mihi dabunt sorores,
Tibi seruiet hoc libenter vni,
Qui tot me titulis bearis vnus.
Nec te carminibus meis tacebo,
O docti patris erudite fili,
Qui ceu filius ales ille Maiæ
Summi iussa patris nitente penna
Portat aërias leuis per auras:
Sic pennæ officio elegantioris,
Et cui nulla parem tulere secla,

Per manus hominum politiorum
Culti scripta patris ferenda curas:
Maior hoc etiam, quòd ille tantùm
Dicta nuncius exprimit parentis,
Tu simul tua cum patris diserti
Scriptis scripta pari lepore iungis.
Sic Phoebi ad radios adulta lætæ
Vitis progenies suis virescit
Ipsa palmitibus, pares & vuas,
Et cum vite pares creat racemos.
Viuite incolumes vterque longùm,
O docti pater erudite nati,
O docti patris erudite fili,
Et vos vt faciles amant Camœnæ,
Sic bonas colite inuicem Camænas.

Nicolai Regij Tumulus.

Languida me rapuit febris mea fata dolentem,
Non quòd acerba forent, licet immatura, sed inter
Proelia magnanimum sine vulnere obire pudebat.

Ad Auitum.

Qvod tibi morigeram tua se negat vxor, Auite,
Et vacuum à rixa non sinit ire diem.
Tu licet hanc toto cumules Oriente petitis

Muneribus, blanda sollicitésque prece,
Nil agis, aspera res mulier, quam munere nullo,
Nullis blanditiis conciliare queas.
Viribus hic opus est: animos vt frangere poßis,
Omnibus hæc neruis est subigenda tibi.

In eandem sententiam.

VT quamuis duros lapides, quos robore nullo,
Vi nulla valeas rumpere, gutta cauat.
Fœmina sic fluidi mollescit ab imbre mariti,
Haud alia melius soluitur arte rigor.

Laidis votum Veneri.

ILla ego quæ cupidos pellexi Lais amantes
Dum iuuenile meo fulsit in ore decus,
Nunc anus hoc Veneri speculum fero, quando videre
Nec placet id quod sum, nec licet id quod eram.

Ad Lectorem.

SVnt inter tenues quas edo subinde Camœnas
Quædam etiam puero carmina lusa mihi.
Cernis vt in leuibus puerile sonantia nugis
Non leuia ætatis dent documenta suæ?
Quid faciam? in capsis temerè illa iacere pigebat,

Loripedique Deo tradere certus eram.
Reppulit hoc à me pietas mitißima crimen,
Et patrius natis parcere iußit amor.
Vos mihi quos melior dedit ætas, & quibus olim
Docta per ora virûm tutius ire licet,
Vos facite vt vestro nomen de nomine sumant,
Neu pigeat teneris fratribus esse duces.

FINIS LIBRI I.



SCÆVOLÆ SAMMARTHANI EPIGRAMMATVM
Liber secundus.

Ad Clariss. v. P. FORGETVM FRAXINEVM Reg. ab intimis consilijs & secretis.

H*Anc partem quoque Lusuum meorum*
Tibi, Petre, dico libenter vni.
Tu, si quid veteri faues amico,
Quem tot iam officiis tibi obligasti,
Gratum munus habe, licet pusillum,
Liberosq; iocos, at innocentes,
Ab omni Inuidiæ tuere morsu.
Fallor? nominis an tui benignum
Hoc de te mihi pollicetur omen?
Nempe hæc insita fraxinis facultas,
Venena vt procul arceant, suáque
Serpentum omne genus fugent ab vmbra.
Quem verò Africa torridis in agris
Serpentem Inuidiâ nocentiorem,
Quod lethalius educat venenum?

Ad Fontem Lodoici fratris Pictonum Prosceneschali.

Limpide fons vitreo qui Clani allaberis amni,
Et pene æquales æmulus addis aquas:
Quem sibi fraternus labor in iucunda parauit
Otia, post rauci tædia multa fori,
Crede mihi non te domino seruire pigebit,
Nectareo cuius flumine diues eris.
Tu modò clamosa cum liber ab vrbe lauatum
Succedet ripis ora, manúsque tuis,
Præsta te nitidum, & tremulo splendentia fundo
Saxula fac leni murmure mota strepant.
Efficiet certè Aoniis permistus vt vndis
Qualis es æterno limpidus amne fluas.

Duareni I. C. Tumulus.

MAgnanimũ Henricum Gallis qui sustulit annus
Idem etiam letho te, Duarene, dedit.
Ille decus fuerat summorum nobile Regum,
Doctorum fueras nobile & ipse decus.
Quot gessit bella vt contunderet ille furorem
Siue, Hispane, tuum, siue, Britanne, tuum?
Tu quoque dum vindex Astrææ interritus instas
Quot cum Barbarie, quantáque bella geris

Post varios casus iam victor vterque manebat,
Partaque iam fuerat pacis vtrique quies.
Sed dum aliquam ad tempus petitis post bella quietem,
Aeterna est vobis ecce reperta quies.

Ad C. Iul. Guersentium.

DIc mihi (sic rerum caussas, doctissime Iuli,
Natura ingenio pandat amica tuo)
Quî fit constantes animos vt fœmina laudet,
Qua tamen est leuius, mobiliúsque nihil?
Scilicet hoc proprium est humanæ mentis, vt illa
Quo caret, id faciat pluris, ametque bonum,
Sic oculis, visuq; carens magni æstimat illum,
Aurea cui clara sidera luce patent.
Sic sibi & innatæ leuitatis conscia, constans
Ingenium mulier, quo caret ipsa, probat.

In Gellij noctes Atticas Ad H. Stephanum.

QVis Stephanũ esse neget Phœbi de semine cretum?
Obscuris adfert noctibus ille diem.

Ad Ioan. Posthium.

TE licet insignem Germania iactet alumnum,
Méque alat Armorico Gallia iuncta freto,

Nos tamen haud vno cæli sub sidere natos
Vnus amor, Posthi, iungit & vna fides.
Quid mirum? hoc faciunt Musæ communia vatum
Numina, quas sequimur castus vterque duces.
Paßibus haud æquis fateor, nam vix ego repo
Lentus humi, celsa tu petis astra via.
Verum adeò si quid Naturæ fœdera possunt,
Principijque tenet semina quisque sui,
Quorum immortales iunxerunt pectora Diuæ,
Hos immortali fœdere nectet amor.

Ad Paulum Melissum.

SIc rorem ætherium non flore exugit ab vno
Quæ tibi dat meritum sedula nomen apis.
Seu varios culti numeros imitaris Horati,
Et quæ Dircæus carmina cantat olor.
Siue arguta refers epigrammata vatis Iberi,
Nasonisque elegos, Virgiliique tubam.
Hos omnes vt mole libri, sic pondere rerum
Exuperas, venæ copia tanta tuæ est.
Iure igitur tali Germania vate superbit,
Erectúmque nouo tollit honore caput.
Nam terra innumeros vt proferat Itala vates,
Vnus pro innumeris esse, Melisse, potes.

Veneri.

VEntris onus Corydon mediis dum ponit in agris,
Penduláque in viridi gramine membra rubent.
Hæc, vt vicina tum fortè latebat in herba,
Lubrica ieiuno vipera dente petit.
Quæ corpus reliquum accepto ne fortè veneno
Inficiant, medici prouida cura secat.
Palpitat infelix succisi more colubri,
Sanguineq; aspersam mentula pulsat humum.
Hanc mutilus pastor myrti viridantis in vmbra
Ponit Acidaliæ flensque gemensque Deæ.
Tu quando vires inuito casus ademit,
Parce, Dea, & curis hunc bona solue tuis.

Helenæ Iouiæ Tumulus.

TV quoque raptū Helenæ Lacedæmonis æmula luges
Gallia, nam rapit hanc mortis auara manus.
Si rapienda fuit, si sors ita dura ferebat,
Cur suus hanc, superi, non rapit ergo Paris?

In quendam.

PHœbus eras nitido formosulus ore maritus:
Accedunt capiti cornua, Bacchus eris.

Ad Musas.

PEgasides Nymphæ doctorum numina vatum,
Quas pius æterno cingit honore pudor.
Me quoque (nam si quas populi contagia sordes
Attulerant vestræ perluit humor aquæ)
Ne sanctis prohibete adytis, nouus ecce sacerdos
Carmina nec vobis inficianda cano.
Nec mihi Quæstoris quòd honesto munere fungar
Auro pollutas esse putate manus.
Parcite Pierides è vestris pellere regnis
Hoc decus, vnde homini vera petenda quies.
Quid melius puro, quid vel diuinius auro?
Quàm bene res tantis conuenit illa sacris?
Omnis enim vatum labor est sonus, at suus auro est
Quo melior bibula nullus in aure sonus.
Ergo siderei gaudet quoque nomine solis,
Quod vestro primas in grege numen agit.
Haud alio optarim Genio magis auspice sanctum,
Si liceat, sacri montis adire nemus.
Atque vtinam veniens mea carmina dum leget ætas,
(Si leget) huic vates aureus esse ferar.

Iac. Augusto Thuano v. c.

Ibis hinc procul arduas per Alpes,
Et magna Venetûm sedebis Vrbe
Hospes non nouus, vt subinde fidos
De re principis alloquare patres.
Quid nos interea potente amico,
Fidelique, pioque destituti?
Quàm triste in lacrymis trahemus æuum,
Donec te reducem videre sit fas!
O qui carminibus mihi vel herbis,
Iuuentæ virides reducat annos;
Certè non sine me teratur istud
Viæ quicquid erit: sed obstat ætas
Quæ tardum facit atque negligentem.
Nec te, Auguste moror, nec in bonorum
Sic peccare velim omnium salutem.
I quò fata iubent, boniique Diui.
Quisquis publica nescit anteferre
Priuatis bona, ciuis ille non est.

Paci.

Hvc ades ô requies defeßis vnica rebus;
Pax bona, Pax cunctis ante ferenda bonis.
Te vocat absentem suspirans nupta maritum,

Te vocat inculta mœstus arator humo.
Aspicis vt ferri dominetur sæua libido,
Grasseturq; locis omnibus omne nefas?
Vince feros, Dea, vince animos, redde aurea mundo
Secula & in Bellum tu tua bella gere.
Vah quid ago? belli fragor armorumq; tumultus
Irrita ventosis nubibus ista ferent.

M. Myroni Regis Archiatro & intimo consiliario.

DVm pacis auctor bellicos flectis duces,
Motúmque sedas ciuicum,
O nate Regi, nate patriæ Myro
Dij cœpta fortunent tua.
Sacro medendi suetus ante munere
Seruare Regem Galliis,
Partes vt omnes impleas, nunc nitere
Seruare Regi Gallias.

In effigiem Henrici Galliæ & Poloniæ Regis

HAec tabula inuicti vultus ostendit & ora
Henrici, voluit quem vltrò gens extera Regem,
Indignata sua est, & iniqua cæde peremit.

Nec temerè tulit ille, Deo quod contigit ipsi,
Cuius viua sacris in Regibus extat imago.

Iacobo Corbinello Florentino In Canticorum versionem.

INter nequitias & fœdi crimina secli
Miraris castam sacra sonare chelyn?
Hoc facit Henrici Genius, quem perdita diri
Temporis impietas non vetat esse pium.
Ille etiam Thuscos penetrauit ad vsque recessus,
Diuina Angelij mouit & ora tui,
Qui Syrios Gallo compleuit milite colles
Asseruitque pia regna beata manu.
Non ea vis tenui Musæ est, vt numine fretus
Ipse meo tantum condere coner opus.
Quod possum, sacra per veterum vestigia patrum
Carmina diuinis laudibus apta cano.
Quòd si nulla meos commendat gratia cantus,
Materia saltem nomine gratus ero.

Iacobo Sammarthano patruo.

AMabo patrue, alter Aesculapi
Medendi studiis & arte pollens,
Quos simul medicus, simul poëta,

Et tibi medico & mihi poëtæ
Communes numeros dedit Sepinus,
Fac legam semel, vt venusto amico
Respondere queam, arrogantiæq;
Iusta suspicione liberari.
Nam quid ille velit profectò scire
Haud quaquam, nisi legerim, potis sum.
An præcordia quòd sacris poëtis
Impleat suus incitata Phœbus
Diuinare putas licere nobis?

I. Vulcobio.

TE puerum Aonides, iuuenem Respublica fouit,
Nunc sibi Relligio vindicat alma virum.
Singula si hæc possunt veræ satis addere laudis,
Quos poterunt titulos addere iuncta seni?

In Medeam Ioan. Perusij.

POstquam Ronsardi ductu, mea Gallia, Musæ
Mutauere iugis notum Helicona tuis.
Quas prius ignotas spernebat quilibet ordo
Ex coluit notas quilibet ordo Deas.
Iámque lyræ cantu resonabas tota, tuorum
Materies vatum cùm foret vnus amor.
At sua qui prisco vestiret crura cothurno

Deerat adhuc, tragicos qui struerétque modos.
Venit Francorum Iodelius alter Apollo
Alitibus natus, sideribúsque bonis.
Venisti paruæ decus & tu, Iane, Perusæ
Dignus quem socium iungat Apollo sibi.
Iámque quod incutiat Romæq; Argísque tremorem
Nescio quid sub te grande theatra tonant.
Cum mediis iuuenem fera Mors te sustulit ausis,
Nec patitur iusto claudere fine dies.
En adsum & patulo quantum possum ore sonare
Iungo meas voces vocibus ipse tuis.
Atque vtinam seri iungant quoque nostra nepotes,
Iunctáque concelebrent nomina nominibus.

In Ælium, ad ciues Pictauienses.

QValis vbi Actæon mutata fronte figuram
Exuit, & similis desiit esse sui,
Ipse suis canibus, quos prædæ assueuerat olim
Discerpto miserè corpore præda fuit.
Sic quoque mutata cœpit cùm mente videri
Aelius & similis desiit esse sui,
Ciuibus ipse suis, quos prædæ assueuerat olim
Discerpto in partes corpore præda fuit.

Ne tamen id fieri Diuûm sine numine credas,
Par fuit his fatum, par quia crimen erat.
Viderat arcanum Cybeles hic, ille Dianæ,
Ille Deæ pœnas soluit, & iste Deæ.

Ad Bacchum. Ex Græco.

HVnc tibi Bacche cadum, quo non modò vina, sed ipsas
Exhausit potator opes, dat Caluus inanem.
Tu facilis cape, quando aliud nil denique restat.

Calui Tumulus.

ASta viator, te nisi forte auocat
Repentè nata propter hoc bustum fames.
Amor enim edendi conditus mecum hic cubat.
Hæc vna menti cura, dum vixi, fuit:
Hic vnus ori sermo, dum vixi, fuit.
Adeò vt viderer vestri in oras luminis
Missus ad edendum, planè iners ad cætera.
Dum suppetebant ërgo fortunæ mihi,
Pudore victo feruide hoc vrgens opus,
Id, cuius ergô veneram, feci libens
Genium secutus atque Naturam ducem.
Me sol edentem vidit & cum pelleret
Noctis tenebras, & tenebris inuicem

Cùm pelleretur, nec pusillum temporis
Punctum remisi, quin vacarem muneri.
Neu librorum cura alendorum patrem
Edacitate ab instituta auerteret,
Vitam peregi cælibem inter fercula.
Neu sobriorum discerem consortio
Frugalitatem, sæpe vicinis locis
Monachorum ego inter sordidos iacui greges,
Monacharum & inter candidos iacui greges,
Atque hîc edendi quod furens libidine
Mens ingerebat, egerebat mentula.
Tandem quod ederem cum nihil reliqui foret,
Et sic quod agerem nil mihi reliqui foret,
Absumpto obiui patrimonio diem,
Inutilísque ne forem, esse desij.

Iano Falconi I. C.

Q*Vem, Falco, mihi das Anacreontem*
Argiuæ decus aureum Camœnæ
Nunc per te Ausonio lepore tinctum
Vt exosculor! vt lubens reuoluo!
Vt mihi videor parum seuera
Inter pocula, liberósque cantus,
Senex cum sene Teïo iocari,
Seniléfque animo fugare curas?

O Dij, si benefacta quid merentur,
Falconi hoc precium meo benigni
Vos rependite pro suo labore,
Iucundum vt peragat beatus æuum, &
Qui tam pulchrè aliis ministrat vnde
Molestas abigant grauésque curas,
Nullæ ipsum exagitent, premantve curæ.

In Iuliodunum.

IMpia cum nuper ciuili Gallia bello
Arsit penè ruens viribus ipsa suis,
Videre oppositas stare hinc atque inde phalanges
Iuliodunæi pinguia culta soli.
Non tamen acris hiems infesto frigoris æstu
Passa fuit pigras conseruisse manus.
Quis Deus ô Musæ (nec enim hoc sine numine Diuûm)
His bonus auertit funera tanta locis?
Num quæ Dardanio postquàm sub iudice vicit
Dardanio generi nunc fauet æqua Venus?
Nempe Dionæo fundata hic Cæsare surgunt
Mœnia, quæ seruant nomen, Iule, tuum.
Cúmque sit & Romæ & Gallis communis origo
Argolicum fugiens Troia subacta iugum,
Cognato acceptos maculari sanguine muros
Non fuit vt posset sustinuisse Dea.

In Rufam.

VAlle sub alarum tibi, cùm caper ante lateret,
Postquàm nupsisti, iam premit ille femur.

In eandem, parodia ex Catullo.

TVrpes deliciæ senis salacis,
Rufa putida, quam in sinu tenere,
Cui penem vietum dare appetenti,
Et lentas solet excitare curas,
Cùm vobis nimium libidinosis
Fœdum nescio quid iubet iocari,
Irritatus vt acquiescat ardor.
Tecum ludere velle, sicut ipsum,
Méne putida, méne Rufa censes?
Tam graue id mihi, quàm ferunt pudicæ
Dilecto Berecynthiæ puello
Nymphæ Sangaridis fuisse crimen,
Quod testes secuit parum pudicos.

P. Gemello Lisoræo

NAm cur inuida, cur maligna febris,
Hoc me tempore tale nil merentem
Affligis miserè malo cubili,

Cum sui tenuem larem poëtæ
Inuisit Lisoræus ille noster
Præstantissimus omnium virorum?
Talem nec licet hospitem, vt deceret,
Festiuè excipere, atque liberali
Fessos hospitio fouere, & ipsum,
Et longæ comitem viæ Tiremum?
At si quis modus est tibi, molesta,
Hinc saltem procul hinc facesse febris,
Tantisper mihi dum licebit illos
Festiuè excipere, atque liberali
Gratos hospitio fouere amicos.
Neg; us, improba, & vsq; & vsq; sæuis?
Sæui, dum mihi (quod febriculosis
Plerumque euenit) impotens furentis
Errorem incutiat doloris æstus,
Ita vt non videar mihi dolere,
Nec meum officium moretur vlla
Morbi opinio quamlibet maligni,
Et sic ipsius in febris dolorem
Prosit esse mihi febriculoso.

Iano Vauquelino Fraxinæo.

QVantò spes minor est rei cupitæ,
Tantò, si superi annuant benigni,

Solet gratior eius esse fructus.
Atqui non adeò cupit maritum
E duris reducem videre castris
Tabescens nimio dolore coniux,
Vt te, Iane, videre gestiebam.
Sed quæ spes potuisset esse, dum tu
Diuitem æquore Neustriam pererras,
Me verò tenet, haud quidem volentem,
Formosi Ligeris beata ripa?
Ecce nos Biturix amica iungit,
Nunc & alloquio frui cupito,
Et vultu veteris licet sodalis.
Myrtinæ interea rubent ocelli,
Dum flent assiduè suos amores.
Fleant vt lubet, interim fruemur,
Et quàm nunc dolet his abesse amantem,
Tam gaudebimus hic adesse amicum.

Ad Ioan. Benenatum.

QVòd te Vasconica vexat nouus hospes ab ora
Mentitus vestræ stemmata prisca domus.
Hanc vsus dirimet motam de nomine litem,
Ille Venenatus, tu Benenatus eris.

Eiuſdem Benenati Tumulus.

PEr vim pérque dolos fatali conditus vrna
Mortuus hic malè ſum qui Benenatus eram.
Mortis cauſſa Venus: nam cæco armauit ab æſtu
In me riualis corda manúſque feri.
O Fati ambiguas leges! quæ cuncta propagans
Vitæ aliis cauſſa eſt, fit mihi cauſſa necis.

Marino Libergeo. I. C.

MI Libergee, cuius in labellis
Et Themis ſedet & natant lepores,
Tibi, ſi quid amas tuum ſodalem,
Commendo teneros meos gemellos,
Quos Muſæ placido è ſinu beatum
Nunc mitto Andegauum, tuóſq; ad amnes,
Haurienda ſacri ad fluenta Iuris.
Quamquam ſi benè te Marine noui
Quod tangit veteres tuos amicos
Hoc tibi ſatis eſt, ſuperque curæ.
Porrò ſi quid erit vel hic vel iſthic
Quod præſtare tibi, tuiſque noſtra
Aut induſtria poßit, aut facultas,
Me nulla immemorem dies videbit.

Ad Cl. Falconem Risium Senatus Aremorici principem.

O Decus Astreæ Falco, quem nectare pauit
Quæ fandi studiis aurea diua præest.
Obtestor per si qua fides, atque auspice Phœbo
Contractus stabili pectore regnat amor,
Dexter ades, veteremque memor miserare sodalem,
Tempestas dubij quem premit atra fori.
Aspicis vt rabidè sua bella cientibus Euris
Fluctuet haud vno turbine pulsa ratis?
Illa quidem solidis trabibus compacta, salutis
Secura vt meritò debeat esse suæ.
Adde quòd hanc scopulos doctus vitare latentes
Non infelici sub Ioue nauta regit.
Sed tamen horret aquas (quid enim est incertius illis)
Et tutum in tutò nil satis esse putat.
Tu, tibi námque dedit ius hoc Neptunus in æquor,
Pelle pericla manu vindice, pelle metus.

Cl. Mangotij Tumulus.

IN bellicosi natus vrbe Cæsaris
Mangotiorum nobilis de stemmate

Iam primo ab æuo patrium fugi larem,
Si me quoque alta possem ad astra tollere.
Nec verò inanem me fefellit spes mea.
Summus patronus in Senatu maximo,
Poëta summus in diserto seculo,
Famam paraui, rem paraui, nec mihi
Virtutis ampla defuere præmia.
Nūc porrò & annis plenus, & superstite
Nato beatus maximos in Gallia
Gerente honores, quo nec eruditior,
Nec probior vllus viuit aut facundior,
Solum relinquo lætus & cælum peto.
Vos ô nepotes discite exemplis meis
Quàm sit decorum blanda mollis otij
Vitare fomenta, & labore prauio
Suprema rerum tendere ad fastigia.

In Scæuolam & Lodoicum gemellos mihi natos.

CVm foret & Phineus, dira instigante nouercá
Qui generi inferret plurima damna sue
Harpyiæq; forent fœdo mox vngue paratæ
Quæsitos misero pellere ab ore cibos.

Forsitan

Forsitan & nasci voluerunt fata gemellos,
Vnde salus cæco restituenda seni.
Nam spes vt teneris quæ gratia lucet in illis
Affectu patrio talia monstra fuget.

Ad agrum Iuliodunensem.

AGrestes villæ, tenui gratissima censu
Prædia, & à proauis regna relicta meis;
Vt vos ipse libens post tædia mille reuiso!
Vt patrij præsens me beat aura soli!
Saluete ô, placidósque mihi præstate recessus,
Dum meditor Latia carmina culta lyra.
Fors erit vt seclis longo voluentibus æuo
Posteritas nostri vos memor ipsa colat.
Et dicat, Locus hic ille est vbi Scæuola quondam
Ludebat faciles captus amore modos.

In Sabinum.

VXorem poterat forma præstante Sabinus
Ducere, sed cui res non foret ampla domi:
Maluit vxorem forma salibusq; carentem
Ducere, sed cui res non foret arcta domi.
Scilicet hoc Veneri est Plutum præferre, Sabine,
Inferna & superis numina numinibus.

In effigiem P. Brachi.

BRache, si tua quàm Talia Tassum
Apte reddidit elegante versu,
Tam scitè tua reddidisset ora
Præstans ingenio manúque pictor,
Nulla viua foret magis tabella.

In Gilberti Blancherelli carmen de Culice ambusto.

ERgo etiam exiles animas (quis credere posset?)
Ambitio sua pertentat, famæq; cupido.
Paruulus ille Culex nomen dum à carmine capta
Sustinet exuri, & medios moriturus in ignes
Ante oculos vatis repetito hinc inde volatu
Insilit, vt doctæ sic argumenta camœnæ
Præbeat, æternóque dehinc celebretur ab æuo.
Et dubitant homines, vermis quod tantulus audet,
Perpetua fragilem vitam pro laude pacisci?

Iul. Cæsari Bulengero.

MActe agedum, Iuli (nec enim doctissime credo
Indictum fratris funus abire sines)
Macte pio officio, raptum florentibus annis

Tartarea iuuenem Ditis ab arce trahe.
Sic suus extinctum reuocauit Castora Pollux,
Sed paris officij gloria maior erit.
Quandoquidem vitæ rediuiuo tempora fratri
Quæ dedit, ipse sibi dempsit iniquus amor.
At fratri æternam tribues dum carmine vitam,
Longior accrescet sic quoque vita tibi.

Mamerto Patissoni.

MAmerte optime, qui sacros inerti
A caligine vindicas poetas,
Doctorúmque vetas perire lusus,
Hunc incultum etiam tibi libellum
Commendo auspiciis tuis in auras
Deserto cupidum euolare nido.
Quanquam non equidem mihi ipse tantum
Assumo, vt merear virûm per ora
Vagari, sed enim meas Camœnas
Cum laudent Puteanus & Pithoej
Probent Pibracius, Valens, Thuanus
Docti omnes adeò viri & sagaces,
Nónne & sim scopulis, & inquieti
Longè durior Hadriæ procellis
Si non has ego amem deosculérque
Meas vt pote, quas mihi canenti
Tot curæ peperere, tot labores?

Sed quamuis etiam has mihi canenti
Tot curæ peperere, tot labores,
Debebunt tibi plus tamen, Patisso,
Tuo munere si licebit illis
Longa vincere secula & perenne
Vatis ferre sui sub astra nomen.


Musis.

SI mea principibus placuit, populóque Thalia,
Impleuit partes iam satis illa suas.
Sin potius vanis oneraui cantibus aures,
Plura quid incassum perdere verba iuuat?
Scribite viuidior quibus est in pectore sanguis,
Non facit ad molles tarda senecta iocos.
Ipse ego nunc múta & lauro suspensa virenti
Aeternùm hîc Musis plectra lyrámque dico.

EPIGRAMMATVM
FINIS.



SACRA CANTICA.



QVòd doctos, lepidos, pióſque verſus
Sammarthane tuos vetas perire
Collectos, & in ordinem redactos,
Næ tu rem facis omnibus Latinè
Doctis, & lepidis, piíſque gratam,
Ludi præcipuè bonis magiſtris,
Et caſtis pueris puelluliſque,
Qui te carmina caſta vate diſcent.
Nam caſtum eſſe decet pium poëtam
Non ipſum modò, cenſet vt Catullus,
Sed verſum magis ipſius, magíſque,
Qui ſi ſit ſimilis Catullianis,
Plus quàm mille cinædi obeſt Catulli.

Io. Auratus Poëta Regius.



AD


CLARISS. VIRVM ACHILLEM HARLÆVM Senatus Parisiensis Principem.

Non semper cupidi malè-sanos pectoris æstus
Ludicráue, aut partos immiti Marte triumphos
Musa canit, terræq; inhiãs mortalia spirat.
Quondam etiam quæ virgineo sunt digna pudore
Diuinis aptat fidibus, notúmque pererrat
Voce polum & vani spernit ludibria vulgi.
Præsertim si quem meritis & honore patronum
Insignem legit & castas modulatur ad aures.
Nempe alto Patrum in solio sacra debita Iuri
Dum facis & populo princeps oracula dictas,
Te si interpellem leuibus, vir maxime, nugis,
Vel rerum ignarus merear, vel ineptus haberi.

Verum age si sacris de fontibus hausta, Deique
Prompta sinu tibi dona feram, sanctæ optima vitæ
Fomenta, & duros rerum solantia casus,
Ecquid erit pretij? quo lætus amore poëtam
Excipies, blandóque dehinc dignabere vultu?
Ista quidem est voti merito pars optima nostri,
Nec potis vberior Musæ contingere merces,
Quàm tanto placuisse viro, quem Gallia latè
Suspicit & summis certatim laudibus effert.
Non quia conspicuus veterum te sanguis auorum
Illustrat, largósque tibi non inuida census
Nortia, supremósque togæ concedit honores.
Sed quia sorte ista longe dignißimus vnus,
Atque adeò maiore, tuæ virtutis amorem
Iniicis in puras mentes & amantia recti
Pectora: nec si te inferior fortuna tulisset
Parcius arderent animi colerént ve merentem.
Me certè iubeas penetrare vel vltima Thules
Litora, vel siccas Libyæ flauentis arenas,
Quæque loca Euphrates extremo flumine findit
Turbidus, Eois vbi ponti spargitur vndis.
Quanquam æui pigra instet hyems, hæc omnia caussa
Non verear tentare tua, dum nostra voluntas
Sic pateat. Sed & est melior, qua me quoque poßim
Commendare opera & non planè ingratus haberi.
Possum ego Pierij diuino munere cantus
Virtutes celebrare tuas, noctiquæ profundæ

Eximere, & sæuas Parcarum vertere leges.
Nam licet vnius captus dulcedine cæli
Non hominum plausu, non vana duceris aura,
Vsque adeóne tamen virtuti debita spernes
Præmia, vt oblatum non amplectaris honorem?
Ille adeò iucundus honos etiam optima mulcet
Pectora: nec si olim famæ generosæ cupido
Deserat humanas rerum in discrimine mentes,
Vllus erit qui pro populi Regúmque salute
Audeat innumeris caput obiectare periclis.
Quo tibi tot curæ, tot sumpti sæpe labores
Pro patria, si post spatium breue labilis æui
Omnia Lethæis nox obruat vna sub vndis?
Siccine virtutum illa cohors, timor ille Deorum
Et pudor & probitas & acerbo tempore Regi
Nunquam fracta fides, nunquam mutabile pectus,
Inuictóque animus non inficiandus Achilli
Vanescant, neque venturo noscantur ab æuo?
Hoc Musæ prohibete nefas: non plurima vobis
Turba deest, tam gratum obeat quæ sponte laborem.
Non tot in herbosis fœcundæ saltibus Hyblæ
Vere nouo glomerantur apes ad roscida florum
Pabula: non tot vbi Autumno, vindemia feruet
Aligeri coëunt culices & fumida circum
Labra volant musti latè fragantis amore,
Gallia quot nostro produxit tempore vates
Qui liquidas vestri concurrunt fontis ad vndas.

Atque quidem hos inter quanquam postremus & arte &
Ingenio, tamen hanc potero dum carpere lucem
HARLÆI *egregias non vno carmine laudes*
Persequar, vt magnum longè diffusa per orbem
Tot decora æternùm viuant, æuóque futuro
Non leuia ad seros veniant exempla nepotes.



SCÆVOLÆ SAMMARTHANI SACRA CANTICA.

Ex veteri teſtamento.

Trium puerorum apud Danielem.

QVæcunque ille Parens mūdi naſcentis origo
Cōdidit, & ſancto moderatur cōdita nutu,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Quæ vitreo circū pendētes fornice lymphæ
Cingitis immenſum vaſto curuamine Cælum,
Ipſiúſque adeò magni ſpatia ardua Cæli,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Felices Genij, puro quibus æthere natis
Æternum eſt ſtudium diuina capeſſere iuſſa,
O decora aſtrigeri longè caſtiſsima Olympi,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Phœbe parens, Phœbique ſoror, duo maxima mundi
Sidera, quæ in ſeſe redeuntem voluitis annum,
Et quotquot nitidis rutilatis in orbibus ignes,

Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Qui caditis grauibus pluuij de nubibus imbres,
Qui fluitis liquidi per prata nitentia rores,
Et latè ingentes quatitis quæ flamina terras,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Arida flammantes qui finditis arua calores,
Segnia concretas quæ frigora stringitis vndas,
Quæq; datis lucem nobis, quæ tempora noctem,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Vos etiam aëriæq; niues, & rubra per æthram
Fulgura, & attonitas terrentia fulmina mentes,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Nec minus & magnæ sola quàm vastißima terræ,
Vos iuga, vos dubio pendentes tramite colles,
Et quæcunque vigent ex ipsa orientia terra,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Et gelidi fontes, & qui de fontibus amnes
Perpetuos lapsus in apertum voluitis æquor,
Ipsum etiam, ipso etiam quicunque sub æquore natis
Squammigeri pisces, & grandi corpore Cete,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Vos etiam puras animalia picta per auras,
Vos etiam latos animalia bruta per agros,
Et quibus humanæ concessa est gratia formæ,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Isacidæ ante omnes, & queis est cura sacrorum,
Et quæcunque adeò pietate insignia vera

Pectora cælestem Domini spiratis amorem,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Et vos felices animæ, quas sidera seruant,
Anania, Azariáque, & casto corde Misael,
Dicite diuinum, vos omnes, dicite Numen.
Vos meritò laudate Deum: quando ille potenti
Nos dextra eripuit nigri de faucibus Orci.
Ille vnus medios clausa è fornace per ignes
Eduxit miserans, dulcésque reduxit in auras.
Hunc omnes laudate pij, Deus ille Deorum est,
Ille suis bonus ac facilis, plenissima cuius
Gratia, & innumeros Clementia durat in annos.

Iudithæ viduæ Bethuliensis.

LAetis carmina tympanis,
Lætis læta meo carmina cymbalis
Orsi pangite nunc Deo.
Laudes blandisonis non sine cantibus
Sancto eius date Numini.
Belli terribilem qui domet impetum,
Qui castra in medio sua
Metatus populo, dira parantibus
Me subtraxerit hostibus.
Canis Assyrius venerat è iugis
Horrens vnde Aquilo fremit,

Ipsósque innumeris militibus ferox
Intercluserat amnium
Cursus, ipsa suis infima vallium
Latè opplerat equis loca.
Iámque atroce animo pollicitus meis
Sæua incendia finibus,
Nulli certus erat parcere, sed meæ
Gentis fortia robora
Districtis iuuenes confodere ensibus,
Et lactantis ab vbere
Duro rapta solo sternere corpora,
In prædámque tenellulis
Molles cum pueris ducere virgines.
At rerum ille potens Deus
Conatus tumidi pectoris irritos
Fregit fœminea manu.
Non hostem eximij viribus inclitum
Bellatrix iuuenum cohors;
Non vasta Superis mole minantium
Titanum manus abstulit.
Formosæ facies sola Meraridos
Indithæ sibi subdidit.
Nam post longa animi tædia ciuibus
Allatura suis opem
Lugubres habitus, & vidui tori
Cultum protinus exuit.
Iucundis faciem sparsit odoribus,

In nodumq́; volatiles
Nectens arte comas, sicque hominem dolo
Captans illice, linea
Huic sese exhibuit conspicuam stola.
Huic torpentia lumina
Incessu aureoli surripuit pedis.
Huic forma aucupe perditum
Non pellendo animum supposuit iugo:
Huic demum exitiabili
Ceruicem miseram fregit acinace.
Audax horruit illius
Ingentes animos Persidos incola,
Medúsque obstupuit ferox.
Tum longis mea gens pressa doloribus,
Duris fracta laboribus
Exclamare noua lætitia, nouis
Pulsare æthera plausibus:
Ad quorum strepitum se pauidi incitam
Vertunt Aßyrij in fugam.
Illos de teneris nata puellulis
Mollis turba dedit neci,
Cæsos vulneribus turpibus, haud secus
Ac seruos refugas, meo
Debellante Deo, cuius ego inclitas
Laudes perpetuò canam.
Tu magnus. meritis tu, Pater, vndique
Fulges clarus honoribus.

Tu virtute potens cedere nescia.
Per te condita seruiant
Paßim cuncta tibi: quippe simul tui
Sermonis crepuit sonus,
Illis esse datum est: aura simul tua
Afflauit, fabricata sunt.
Oris sancta tui verba neque audeat
Contra tendere quispiam.
Quin ipsi à solido, cum vitreis aquis,
Montes subsiliunt solo.
Et vultus nitidis à radiis tui
Moles confraga rupium
Tanquam lenta foco cera resoluitur.
At qui te metuunt, eos
Indefessus amas: nec facit additis
Tota altaria thuribus
Suffire, & rapidis largiter ignibus
Pingues vrere victimas.
At sanctus Domini quos timor afficit,
Hos magni Dominus putat.
Veh infesta quibus contigit in meum
Moliri populis genus!
Hos plectet miseris omnipotens modis
Summo iudicij die,
Certatímque feris ignibus, & feris
Totos vermibus exedet
Aeternis querulos in cruciatibus.

Ex

Ex Epinicio Deboræ.

EIa, quid cessas Debora? eia dulces
Dic modos, prædáque ferox recenti
Huc ades magni generosa proles
Abinoami.
Quosque sors belli tibi comparauit
Læta captiuos celebrem in triumphum
Profer, & totam manibus reuinctis
Coge per Vrbem.
Impetu facto Cananææ ab oris
Asperam reges iniere pugnam,
Quà vagus Thani spatiosa lustrat
Arua Magedo.
Non tamen dites retulere prædas,
Ipse nam cæli fauor, ipsa contra
Sisaram ex altis quoque dimicarunt
Orbibus astra.
Nunc io illustres animæ ac beatæ,
Queis datum exacto superesse bello,
Nunc io tandem dabitis fugatis
Iura tyrannis.
Prima laus tantæ tibi danda palmæ
Fortis Ephræmi soboles, paratis
Prima tu vires Amalecidarum

X

Excipis armis.
Quid satos claro Sabulone dicam,
Quos amor tantus ciet, vt qui etis
Dediti Musis homines & ipsi
Arma capessant?
Nec mea indictus fuerit camœna
Qui simul præstans animi Baraccus
Valle declivi pedes ingruentem
Tendit in hostem.
Quæ tamen lentos mora, quis veternus
Vos Rubenitæ tenuit, propinquis
Quominus vestrum quoque iungeretis
Gentibus agmen?
Qui sub euersis Aserita muris
Ad procellosum stabularis æquor,
In tuis, quæso, tibi quæ latendi
Caussa ruinis?
Non ita inuictus Sabulo poténsque
Neptalis pubes, mediis sed ipsam,
Posceret si res, voluere campis
Ponere vitam
Væ sacræ infandis domibus Merosæ
(Hoc enim interpres iubet ipse cæli)
Væ sacræ inuiso populo Merosæ
Dicite ciues.
Nam Iouæ afflictis per iniqua rebus
Tēpora, haud quidquā malè-fida grati

Auxili contra numero ferocem
Præbuit hostem.
Illa sed Iaël celebranda, Iaël
Nympha præstantis generosa Heberi,
Fœminas inter memori vehenda
Laude Cenæas.
De fuga fesso & gelidam petenti
Sisaræ magna patera bibendum
Lac dedit palpans, niueóque mulsit
Labra liquore.
Blandus irrepsit sopor: illa læuá
Ferreum clauum, simul & fabrilem
Malleum dextra rapiens, iacentis
Tempora fixit.
Sternitur tanto labefactus ictu
Fœminæ infelix ferientis ipsos
Ad pedes ductor, subitóque pallent
Frigore membra.
Ter solo sese exiliens leuauit,
Ter solo fœdè reuolutus imo est,
Et nigra demum hic miseranda clausit
Lumina nocte.



QVòd doctos, lepidos, piósque versus
Sammarthane tuos vetas perire
Collectos, & in ordinem redactos,
Næ turem facis omnibus Latinè
Doctis, & lepidis, piisque gratam,
Ludi præcipuè bonis magistris,
Et castis pueris puellulisque,
Qui te carmina casta vate discent.
Mam castum esse decet pium poëtam
Non ipsum modò, censet vt Catullus,
Sed versum magis ipsius, magísque,
Qui si sit similis Catullianis,
Plus quàm mille cinædi obest Catulli.

Iȯ. Auratus Poëta Regius.




AD CLARISS. VIRVM ACHILLEM HARLÆVM Senatus Parisiensis Principem.

NOn semper cupidi malè-sanos pectoris æstus
Ludicráue, aut partos immiti Marte triumphos
Musa canit, terræq; inhiãs mortalia spirat.
Quondam etiam quæ virgineo sunt digna pudore
Diuinis aptat fidibus, notúmque pererrat
Voce polum & vani spernit ludibria vulgi.
Præsertim si quem meritis & honore patronum
Insignem legit & castas modulatur ad aures.
Nempe alto Patrum in solio sacra debita Iuri
Dum facis & populo princeps oracula dictas,
Te si interpellem leuibus, vir maxime, nugis,
Vel rerum ignarus merear, vel ineptus haberi.

Verum age si sacris de fontibus hausta, Deique
Prompta sinu tibi dona feram, sanctæ optima vitæ
Fomenta, & duros rerum solantia casus,
Ecquid erit pretij? quo lætus amore poëtam
Excipies, blandóque dehinc dignabere vultu?
Ista quidem est voti merito pars optima nostri,
Nec potis vberior Musæ contingere merces,
Quàm tanto placuisse viro, quem Gallia latè
Suspicit & summis certatim laudibus effert.
Non quia conspicuus veterum te sanguis auorum
Illustrat, largósque tibi non inuida census
Nortia, supremósque togæ concedit honores.
Sed quia forte ista longe dignißimus vnus,
Atque adeò maiore, tuæ virtutis amorem
Iniicis in puras mentes & amantia recti
Pectora: nec si te inferior fortuna tulisset
Parcius arderent animi colerentve merentem.
Me certè iubeas penetrare vel vltima Thules
Litora, vel siccas Libyæ flauentis arenas,
Quæque loca Euphrates extremo flumine findit
Turbidus, Eois vbi ponti spargitur vndis.
Quanquam æui pigra instet hyems, hæc omnia caussa
Non verear tentare tua, dum nostra voluntas
Sic pateat. Sed & est melior, qua me quoque poßim
Commendare opera & non planè ingratus haberi.
Possum ego Pierij diuino munere cantus
Virtutes celebrare tuas, noctiquæ profundæ

Eximere, & sæuas Parcarum vertere leges.
Nam licet vnius captus dulcedine cæli
Non hominum plausu, non vana duceris aura,
Vsque adeóne tamen virtuti debita spernes
Præmia, vt oblatum non amplectaris honorem?
Ille adeò iucundus honos etiam optima mulcet
Pectora: nec si olim famæ generosæ cupido
Deserat humanas rerum in discrimine mentes,
Vllus erit qui pro populi Regúmque salute
Audeat innumeris caput obiectare periclis.
Quo tibi tot curæ, tot sumpti sæpe labores
Pro patria, si post spatium breue labilis æui
Omnia Lethæis nox obruat vna sub vndis?
Siccine virtutum illa cohors, timor ille Deorum
Et pudor & probitas & acerbo tempore Regi
Nunquam fracta fides, nunquam mutabile pectus,
Inuictóque animus non inficiandus Achilli
Vanescant, neque venturo noscantur ab æuo?
Hoc Musæ prohibete nefas: non plurima vobis
Turba deest, tam gratum obeat quæ sponte laborem.
Non tot in herbosis fœcundæ saltibus Hyblæ
Vere nouo glomerantur apes ad roscida florum
Pabula: non tot vbi Autumno, vindemia feruet
Aligeri coëunt culices & fumida circum
Labra volant musti latè fragantis amore,
Gallia quot nostro produxit tempore vates
Qui liquidas vestri concurrunt fontis ad vndas.



SCÆVOLÆ SAMMARTHANI SACRA CANTICA.

Ex veteri teſtamento.

Trium puerorum apud Danielem.

Quæcunque ille Parens mūdi naſcentis origo
Cōdidit, & ſancto moderatur cōdita nutu,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Quæ vitreo circū pendētes fornice lymphæ
Cingitis immenſum vaſto curuamine Cælum,
Ipſiúſque adeò magni ſpatia ardua Cæli,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Felices Genij, puro quibus æthere natis
Æternum eſt ſtudium diuina capeſſere iuſſa,
O decora aſtrigeri longè caſtiſsima Olympi,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Phœbe parens, Phœbique ſoror, duo maxima mundi
Sidera, quæ in ſeſe redeuntem voluitis annum,
Et quotquot nitidis rutilatis in orbibus ignes,

Pectora cælestem Domini spiratis amorem,
Dicite diuinum, vos omnia, dicite Numen.
Et vos felices animæ, quas sidera seruant,
Anania, Azariáque, & casto corde Misael,
Dicite diuinum, vos omnes, dicite Numen.
Vos meritò laudate Deum: quando ille potenti
Nos dextra eripuit nigri de faucibus Orci.
Ille vnus medios clausa è fornace per ignes
Eduxit miserans, dulcésque reduxit in auras.
Hunc omnes laudate pij, Deus ille Deorum est,
Ille suis bonus ac facilis, plenissima cuius
Gratia, & innumeros Clementia durat in annos.

Iudithæ viduæ Bethuliensis.

LÆtis carmina tympanis,
Lætis læta meo carmina cymbalis
Orsi pangite nunc Deo.
Laudes blandisonis non sine cantibus
Sancto eius date Numini.
Belli terribilem qui domet impetum,
Qui castra in medio sua
Metatus populo, dira parantibus
Me subtraxerit hostibus.
Canis Assyrius venerat è iugis
Horrens vnde Aquilo fremit,

In nodumq́ volatiles
Nectens arte comas, ſicque hominem dolo
Captans illice, linea
Huic ſeſe exhibuit conſpicuam ſtola.
Huic torpentia lumina
Inceſſu aureoli ſurripuit pedis.
Huic forma aucupe perditum
Non pellendo animum ſuppoſuit iugo:
Huic demum exitiabili
Ceruicem miſeram fregit acinace.
Audax horruit illius
Ingentes animos Perſidós incola,
Medúſque óbſtupuit ferox.
Tum longis mea gens preſſa doloribus,
Duris fracta laboribus
Exclamare noua lætitia, nouis
Pulſare æthera plauſibus:
Ad quorum ſtrepitum ſe pauidi incitam
Vertunt Aſſyrij in fugam.
Illos de teneris nata puellulis
Mollis turba dedit neci,
Cæſos vulneribus turpibus, haud ſecus
Ac ſeruos refugas, meo
Debellante Deo, cuius ego inclitas
Laudes perpetuò canam.
Tu magnus. meritis tu, Pater, vndique
Fulges clarus honoribus.

Tu virtute potens cedere nescia.
Per te condita seruiant
Paßim cuncta tibi: quippe simul tui
Sermonis crepuit sonus,
Illis esse datum est: aura simul tua
Afflauit, fabricata sunt.
Oris sancta tui verba neque audeat
Contra tendere quispiam.
Quin ipsi à solido, cum vitreis aquis,
Montes subsiliunt solo.
Et vultus nitidis à radiis tui
Moles confraga rupium
Tanquam lenta foco cera resoluitur.
At qui te metuunt, eos
Indefessus amas: nec facit additis
Tota altaria thuribus
Suffire, & rapidis largiter ignibus
Pingues vrere victimas.
At sanctus Domini quos timor afficit,
Hos magni Dominus putat.
Veh infesta quibus contigit in meum
Moliri populis genus!
Hos plectet miseris omnipotens modis
Summo iudicij die,
Certatímque feris ignibus, & feris
Totos vermibus exedet
Aeternis querulos in cruciatibus.

Ex

Ex Epinicio Deboræ.

EIa, quid cessas Debora? eia dulces
Dic modos, prædáque ferox recenti
Huc ades magni generosa proles
Abinoami.
Quosque sors belli tibi comparauit
Læta captiuos celebrem in triumphum
Profer, & totam manibus reuinctis
Coge per Vrbem.
Impetu facto Cananææ ab oris
Asperam reges iniere pugnam,
Quà vagus Thani spatiosa lustrat
Arua Magedo.
Non tamen dites retulere prædas,
Ipse nam cæli fauor, ipsa contra
Sisaram ex altis quoque dimicarunt
Orbibus astra.
Nunc io illustres animæ ac beatæ,
Queis datum exacto superesse bello,
Nunc io tandem dabitis fugatis
Iura tyrannis.
Prima laus tantæ tibi danda palmæ
Fortis Ephræmi soboles, paratis
Primatu vires Amalecitorum

Excipis armis.
Quid satos claro Sabulone dicam,
Quos amor tantus ciet, vt qui etis
Dediti Musis homines & ipsi
Arma capessant?
Nec mea indictus fuerit camœna
Qui simul præstans animi Baraccus
Valle declini pedes ingruentem
Tendit in hostem.
Quæ tamen lentos mora, quis veternus
Vos Rubenitæ tenuit, propinquis
Quominus vestrum quoque iungeretis
Gentibus agmen?
Qui sub euersis Aserita muris
Ad procellosum stabularis æquor,
In tuis, quæso, tibi quæ latendi
Caussa ruinis?
Non ita inuictus Sabulo poténsque
Neptalis pubes, mediis sed ipsam,
Posceret si res, voluere campis
Ponere vitam
Væ sacræ infandis domibus Merosæ
(Hoc enim interpres iubet ipse cæli)
Væ sacræ inuiso populo Merosæ
Dicite ciues.
Nam Iouæ afflictis per iniqua rebus
Tēpora, haud quidquā male-fida grati

Auxili contra numero ferocem
Præbuit hostem.
Illa sed Iaël celebranda, Iaël
Nympha præstantis generosa Heberi,
Fœminas inter memori vehenda
Laude Cenæas.
De fuga fesso & gelidam petenti
Sisaræ magna patera bibendum
Lac dedit palpans, niueóque mulsit
Labra liquore.
Blandus irrepsit sopor: illa læuá
Ferreum clauum, simul & fabrilem
Malleum dextra rapiens, iacentis
Tempora fixit.
Sternitur tanto labefactus ictu
Fœminæ infelix ferientis ipsos
Ad pedes ductor, subitóque pallent
Frigore membra.
Ter solo sese exiliens leuauit,
Ter solo fœdè reuolutus imo est,
Et nigra demum hic miseranda clausit
Lumina nocte.

Annæ matris Samuelis.

NVnc tota pleno pectora gaudio
Fauente nobis Numine gestiunt,
Attollo nunc frontem superbam
Liberáque attonitos in hostes
Nunc ora soluo, triste silentium
Perosa. tanta lætitia efferor,
Postquàm suo tutam benignus
Me pater esse iubet fauore.
Quis sanctus æquè est, ô Deus, atque tu?
Quis, vt loquamur veriùs, vspiam
Te præter vnum sanctus? aut quis
Eximia tibi comparandus
Virtute? iam vos ergo ferociam
Oris superbi comprimite, aspera
Iam verba cessent: ille quem res
Nulla fugit, Deus ille vanos
Euertit ausus, & variat vices.
Hoc fracta hebescunt spicula fortium,
Hoc debiles firmantur artus
Robore non patiente vinci.
Largo repleti qui fuerant cibo,
Victum ob parandum nunc operas locant:
Et qui fame contra peribant,

Nunc nimio ſaturantur eſu.
Tædas inanes, & ſterilem torum
Quæ expoſtulabat, nunc ſobole affluit:
Quæq́ affluebat, nunc minuti
Damna gemit miſeranda lecti.
Vitæ, neciſque eſt vnicus árbiter
Creator orbis: cùm lubet horrido
Detrudit Orco, mox reducit,
Cùm lubet, ætherias in auras.
Dites ob orta pauperie obruit,
Amplis egenos diuitiis beat,
Nunc deprimit ſummum tenentes,
Nunc humiles ſuper alta mittit.
Sæpe infimo de puluere pauperem
Ad celſa rerum culmina prouehit,
Viriſque ſummis aſsidentem
In ſolio ſtatuit ſupremo.
Immenſa terræ qui ſola fulciunt,
Torquentur eius numine cardines,
Quibus ſuper vaſti locauit
Templa opifex ſpecioſa Cæli.
Ergo ſupremis imperiis potens
Tutum piorum certus iter reget:
At impiorum ſub profundis
Muta cohors latitabit vmbris.
Caduca & impios gens hominum ſuis
Ne forte quidquam viribus arroget,

Ab arce mundi fulminabit
Ille ferox pauidos in hostes.
Regendi habenas suscipiet soli,
Suum ille Regem robore muniet,
Sui ille Regis ter verendum
Summa caput super astra tollet.

Esaiæ Prophetæ.

Tibi beate gratias ago Parens,
Qui cùm furore ardesceres,
Tamen benignus parcis, & solatio
Dulci immerentem me foues.
Cùm sit salutis auctor & vindex meæ,
Fidam Deo imperterritus.
Materia nempe est ille cantandi mihi,
Dum me ad suas laudes trahit,
Laudes supremæ debitas potentiæ,
Nobis saluti quæ fuit.
Hoc haurienda fonte vobis est salus,
Hinc illa abundè profluet.
Et tunc beato delibuti gaudio,
Agite, inquietis, gratias.
Iehouæ tonanti, numen illius sacrum
Prece inuocate supplice,
Ingentia eius facta latè spargite

Noménque clarum attollite.
Memorate Dominum, qui canendum gentibus
Opus peregit arduum.
Festis alacres vos ouate cantibus,
Pulcræ Sionis incolæ,
Postquam ille sanctæ gentis augustus Deus
Miranda vobis præstitit.



CANTICORVM
PARS ALTERA.
Ex nouo testamento.

Zachariæ Sacerdotis.

QVO tibi, summe Deûm, veteri quem natá Iacobo
Gens colit, atque aris meritum pia libat honorem,
Quo tibi nunc dignæ soluentur carmine grates?
Quandoquidem populo præsens ades, ille beatus
Vindice te tandem nunc libera tempora ducit,
Acceptoque tui de semine Dauidis ortum

Erigis optanti promissæ dulce salutis
Præsidium, antè tuo pleni quod numine vates
Haud temerè antiquis patribus cecinêre futurum.
Nempe fero tutos aliquando vt mitis ab hoste
Assereres, & seruitij iuga dura leuares:
Quo magis in nostros facilis, placidæque pateres
Largitor veniæ, nec fœderis immemor olim
Percussi, Abrahamo dum tu lætissima spondes
Iuratus fore secla, truci cùm ex hoste redemptis
Auspice te nobis posita formidine tandem
Te colere, & pia ritè tibi sacra ferre liceret.
Et tu, sancte puer, felicibus edite mundo
Auspiciis, summi Domini appellabere vates.
Quippe viam sternes venturo, & nata salutis
Munera narrabis fesso prænuncius orbi,
Speratámque diu pacem mortalibus ægris,
Qua nos ima beat Regis clementia, puro
Dum noua lux oritur cælo, quæ noctis opacis
Immersos tenebris nitido mox lumine spargat,
Nostráque ad optatam ducat vestigia vitam.

Mariæ Virginis sanctissimæ Christi matris.

TE, Pater alme, canit mea mens, te exultat in vno
Spiritus, ô mea spes, ô mea sola salus,

Qui de sidereo sublimis culmine cæli
Res ancillæ humiles respicis ecce tuæ.
Hinc erit vt longum felix ego dicar in æuum,
Et populi æterna laude per ora ferar.
Ille etenim, cuius nunquam finita potestas,
Qui sanctum augusto numine nomen habet,
Cuius amica piis clementia semper aperta est,
Pertribuit magnus munera magna mihi.
Ille potens, terræ stupeat quæ maximus orbis,
Ingenti manuum robore multa facit.
Vana quibus nimio turgescunt pectora fastu,
Deiectos animi spe iubet esse sui.
Cùm lubet, elatos solio deturbat ab alto:
Cùm lubet, abiectos ad loca summa vehit.
Hoc ditatur inops, modò quem sors dura premebat:
Hoc fit inanis opum, qui modò diues erat.
Ille etiam Abrahamo, veterísque nepotibus olim
Abrahami certa quod dedit ante fide,
Israële satos iuuat, æternumque iuuabit,
Quem populum in tempus vendicat omne sibi.

SYMEONIS.

NVnc (vt antè receperas futurum)
Nunc ô nunc genitor benigne, tandem
Dimittor placida quiete felix.

En tuo famulo tuam Salutem
Hisce luminibus datur tueri.
Hanc tu in luce palàm exhib s aperta
Nationibus omnibus videndam,
Lumen gentibus aureum prophanis,
Aeternum Solymis tuis honorem.


Ex capite Actor. IIII.

O Magni ætheris arbiter,
Ille es tu sator omnium,
Qui terras, mare, sidera,
Quæque hæc singula continent
Verbo perficis vno.
Cuius numine percitus
Rex olim hæc Solimæ canit,
Quis gentes furor incitat?
Quò vanæ populi minæ?
Quid fert iste tumultus?
Quid facto fremit agmine
Principum manus impios
Versans corde dolos, quibus
Et Deum petat & Dei
Regem rite perunctum?
Est vati sua nunc fides,
En cum gente nefaria
In Christum coeunt tuum

Herodes animi ferox,
Proconsúlque Latinus.
Quid porro hi facient, nisi
Quod ratum tibi sit prius?
At ô maxime cælitum
Huc ades bonus, & minas
Horum despice inanes.
Iussa fac tua liberè
Loquamur, neque filij
Nobis interea tui
Desit spiritus, æthere
Qui nos afflet ab alto.
Vnde & corporibus sua.
Paßim ægris redeat salus,
Et stupentibus impiis
Sit fas edere plurima
Latum ostenta per orbem.

Decalogus.

ACcipito hæc animis, tibi quæ Rex maximus olim
Imperat, excusso gens recreata iugo.
Hunc vnum tota venerabere mente, nec vllum
Ascribes pictis numen imaginibus.
Ne iures temerè nulli iurabile nomen.
Septima lux positis cesset ab officiis.
Vt longùm viuas, Patres cole. neu committas
Fœdum inconceßi crimen adulterij.



PSALMI ALIQVOT EX DAVIDE.

Ad Gulielmum Ruzæum Episcopum Andegauen.

CVi donem potius ſacras, Ruzæe, Camœnas,
Quàm tibi, ſacrorum, Pieridumque decus?
Nec mea quòd paucis niteant variata figuris
Carmina, & externa ſermo ſit arte carens.
Crediderim idcirco minùs iſta futura legenti
Grata tibi, iſtorum ſi modo lector eris.
Cùm referunt nugáſque leues, & inania Muſæ,
Quæ per ſe nullum ſomnia pondus habent,
Tunc locus ingenio eſt, nimia tunc arte politum,
Materiem ſterilem vincere debet opus.
At cùm vera canit, compto ſermone Poëta
Non eget: ipſa ſibi ſufficit ampla ſeges.
Sic operam aurificis rutilo lapis æmulus igni
Negligit ipſe ſuo plus ſatis orbe micans.

Psalmus III.

Hei mihi quàm densi collectis viribus hostes
Insurgunt! quanto coëunt in me agmine turmæ!
Quinetiam illuduntque mihi, nullamque salutem
In Domino esse aiunt. At enim tu maximus ille es,
O Deus, incertæ qui per discrimina pugnæ
Me tectum vt clypeo felici numine seruas.
Tu decus omne meum, per te mihi gloria surgit
Altior & summis lætum caput erigit astris.
Tu quoties querulas promo de pectore voces
Exaudis bonus, & sacra me attendis ab arce.
Certè ego seu vigilem, seu blandos lumina somnos
Accipiant, semper tanto custode pauoris
Liber agam & placida securus mente quiescam.
Me licet innumeræ vallent hinc inde phalanges
In caput hoc iuratæ omnes, impunè videbo
Agmina, nec lethi me vrgens terrebit imago.
Tu modo (nam seruare tuum est) fortißime surge
Dux mihi, neu pigeat solita virtute nocentum
Et malas terere, & duros confringere dentes,
Ipsa tibi niueis fulgens Victoria pennis
Seruit, & ipsa Salus, te lecti pendet ab vno.
Spes populi, tu nota illum bonitate fideque
Conserua, & largis cumula, pater optime, donis.

Psalmus IIII.

MAgne Parens (nam te angustis in rebus amicum
Iam memini expertus toties)
Insontis miserere, & non iniusta petenti
Nunc præbe quoque te facilem.
Quo tamen vsque meæ sic insidiabere famæ
Nescia gens hominum veri?
Si dubitas, idem ille sibi qui sponte sacrauit
Me Deus, & dedit esse pium,
Constanti fouet vsque fide: quodcunque precabor
Non vacuas sinet ire preces.
Indultum errori satis est, agnoscite summi
Numina non temeranda Dei.
Has animo taciti per noctem euoluite curas
Pertæsi vitæ ac scelerum.
Sed neque suffitu, pecudum nec pinguibus extis
Vos iubeam cumulare focos.
Nulla magis Domino placet hostia, quàm sibi recti
Conscia mens, & certa fides.
Optet opes vulgus: quærendi cæca libido
Sollicitet viles animas:
At tu siderei blando me lumine vultus
Irradies pater alme tui,
Non illis ego vel quæ rumpant horrea messes,

Et (si non satis est supérque pœna
Exhaustum hactenus, ipsa luminum quòd
Præ mœrore acies hebet, vigénsque
Induit silicernium iuuentus)
Iugi me imbre iuuet replere ocellos.
Testis tu mihi Luna tot laborum
Dum furuis tacitè vehes quadrigis,
Et largo madidum cubile fletu.
Fallor? audiit an meas querelas
Terrarum dominus deúsque cœli,
Optatámque diu attulit salutem?
O sint ergo procul procul nocentes,
Perfusique nouo rubore malas
Turpem præcipites fugam capessant.

Psalmus CXVII.

MAximi laudes Dei
Quotquot estis vndiq;
Nationes pangite.
Dicite eius gratiam,
Qua nihil benignius;
Dicite eius & fidem,
Qua nihil constantius.

Psalmus CXX.

O Qui rebus in asperis
Nunquam non placidus mihi
Das aurem, pater optime,
Audi rite precantem.
Tu me falsa loquentium,
Tectis eripe fraudibus,
Tu pelle hinc procul impia
Malæ toxica linguæ.
Quid verò tibi proderis,
Quem fructum paries tibi,
O lingua inuida, qua nihil
Est nocentius vsquam?
Non sic militis impigri
Pungunt acria spicula,
Non sic feruidus aridas
Vrit ignis aristas.
O me iam miserum diu,
Qui vitam in gemitu traho
Inuisam, inter inhospitas,
Dura nomina, gentes!
Hostes pacis & otij
Gentes, quas ego si velim

Fando flectere, mollia
Reddunt verba feroces.

Psalmus CXXXIII.

QVid esse melius, quid potest iucundius
Quàm sese amantum mutuò fratrum fide?
Non ille, Aronis quo madet sacrum caput,
Vnguenti amicus imber æquè recreat,
Liquenti odore dum senis barbam pij
Sinusque ad ipsam vestis oram perpluit.
Non ille guttis albicans lucentibus
Ros qui supina spargit Hermonis iuga.
Non qui Sionis colle sensim defluens
Subiecta opimat arua. Sic enim domus,
Fratrum beatæ quæ patet concordiæ,
Demissam ab alto sentit indulgentiam,
Multisque læta semper affluit bonis.

Psalmus CXLVIII.

FElices animæ, sacras
Quæ cœli colitis domos,


Vos cæli dominum & soli
Pio tollite cantu.
Vos puri Aligerûm chori,
Vos prompta ætherij patris
Parere imperio agmina,
Deo pangite laudes.
Et Solis iubar aureum,
Et Lunæ iubar æmulum,
Et vis cetera luminum
Deo pangite laudes.
Illum & siderei poli,
Illum & sidereos super
Polos pensilia æquora
Pio tollite cantu.
Qui nutu creat omnia,
Qui nutu regit omnia,
Fas & omnia debitas
Illi dicere laudes,
Quæ porro statuit semel
Firmis condita legibus,
Seruant perpetuò suum
Indefessa tenorem.
Sed & vos etiam infima
Deum tollite laudibus.
Qui terræ colitis specus
Picti terga dracones,

Qui liquentia verritis
Cauda remige marmora
Delphines maris incolæ,
Deo pangite laudes.
Niues, fulgura, grandines,
Imbres, quique simul Deo
Iubente omnia vertitis
Cæco turbine venti,
Montium aspera culmina,
Collium iuga frondea
Arborumque comantium
Omni à stirpe propago,
Omnes vndique bestiæ,
Omnes vndique reptiles,
Et quæ versicoloribus
Auras finditis alis.
Orbis denique Principes,
Reges, & populi, & quibus
Potestas datur infimæ
Iura dicere plebi.
Puellæ & pueri integri,
Quicquid est iuuenũ & senũ,
Laudate ætherij patris
Sanctum in secula nomen.
Hic est ille potens Deus
Et cæli simul & soli
Æterna propriam siti

Sospitans ope gentem
Israele satum genus,
Si qua est pro meritis fides,
Illi concine debitas
Grato pectore laudes.

FINIS POEMATVM
Scæuolæ Sammarthani.





PSALMI XXII. PARAPHRASIS

AVTHORE LODOICO SAMMARTHANO
Prouinciæ Pictonicæ Prosenesch.

TV quæ conuexis ad nos descendis ab astris,
Quam non humanæ tetigit contagio sortis,
Sed nitido puram diuina potentia cælo
Excipit, exceptámque docet, doctámque remittit,
Clio sancta refer, quibus auxit Christus egentem
Muneribus, præsentiq́ auctum numine firmat.
Nam veluti vigil innocuas viridantibus agris
Pastor oues agit & securas vndiq́ seruat,
Sic statuit sancti pia me per pabula campi
Omnipotens Deus & diuino gramine pascit.
Ille sitim & sacro restinxit crimina riuo,
Fœlicémque iterum decorauit imagine prima,
Et prima reducem me libertate beauit.
Mens equidem errabat per deuia lustra ferarum
Illecebris donec captam fallacibus ad se
Attraxit Deus & fida in statione locauit.
Quo duce si libeat dubias migrare per vmbras,
Vel certæ mortis manifesta pericla subire,
Haud trepidus menti arrectæ timor ingruet, atra

Ex oculis ægræ euanescet mortis imago.
Est mihi solamen diuturni virga doloris,
Membra tuo clemens baculo defessa leuasti,
Celestique auidus tandem saturarer vt esca
Sacratas media mensas de luce parasti,
Quas vidit fidei visisque intabuit hostis.
Diuino ceruix oleo perfusa nitescit,
Fœcundúsque calix animam conspergit, & omni
Abluit illuuie spurcam, maculisque repurgat.
Quin tua me nunquam pietas, quæ me & mea curat,
Sedula destituet, dum spiritus hos reget artus.
Ac tandem humanæ transacto tempore vitæ
Diuinum fœlix traducam leniter æuum.



EX PSALMO XX. AD DEVM PRECES PRO CHRISTIANISS. REGE HENRICO IIII. Authore Abelio Sammarthano Scæuolæ F.

DVm populus sine lege ruit, dirasque precatur
Impius, & sacri deceptus imagine falsa
Bella iniusta mouet, verumque lacessere Regem
Audet & insano demens concurrere ferro,
Te Deus exaudire velit, Rex optime Regum

HENRICE, & saluum præsenti numine seruet,
Auxiliumq; tibi cœlo metuendus ab alto
Mittat, & augusta te firmet ab arce Sionis.
Cúmque etiam pia sacra feres, & debita voti
Persolues, memor omnipotens tua munera blandè
Accipiat Deus, atque immisso cœlitus igni
In flammam & cineres oblata holocausta resoluat.
Denique quicquid ages, animo quæcunque reuolues
Diuina vsque tuis aspiret gratia cœptis.
Nempe altos aderit circum Victoria currus,
Nos tibi plaudemus reduci, te sospite læti
Próque aris tibi próque focis pia signa feremus.
En nostras placida cepit Deus aure querelas
Et summi, nec vana loquor, de culmine Olympi
Magnanimum insidis Regem defendet ab armis:
Certam adeò diuina suis fert dextra salutem.
Curribus ergo alij exultent, iactetque feroces
Alter equos, pleno memorabimus ore Tonantis
Augustum nomen, patris auxiliumque petemus.
Nec mora gens inimica ruet, genibúsque reflexis
Victoris cadet ante pedes, & supplice vultu
Multa gemens veniam generoso à principe poscet.
Interea capita in terras abiecta prememus,
Et superum erecti tollemus ad æthera vultus.
Quare ades ô Regemque, fauens, regnumque tuere,

Et cùm sacra tibi ponemus vota, querelásque
Edemus, valeant euentu vota secundo,
Et nostris pater omnipotens attende querelis.

EIVSDEM ABELII SAMMARTHANI AD EVNDEM REGEM CHRISTIANISS. Epinicion ex Psalmo XXI.

Arbitér armorum omnipotens, quo pendet ab vno
Rerum certa salus, fusa quòd gente nefanda
Rex pius & partis felici Marte tropæis
Exultat, pater alme tuum est, tibi gaudia fundit
Victor ouans, memori grates tibi pectore reddit.
Nam verum illudit vano dum numine numen
Impius, & rabidos cæco sub corde furores
Voluit, vt HENRICVM *sceptris expellat auitis,*
Borbonidumq́; genus regali à stirpe recidat,
Ad te confugiens supplex quodcunque petiuit
Ille tulit, longeque adeo potiora petitis
Sæpe tulit, victumque hostem dare terga coëgit.
Huic porrò & patriæ sacrum diadema coronæ,
Et nunquam optati decus inuiolabile sceptri
Armorum strepitus inter, dubiosque tumultus
Nobilium vnanimi assensu gestare dedisti.

Vtque tibi puram petiit sine crimine vitam
Protinus illæsæ longißima tempora vitæ.
Concedis bonus, atque annos sine labe fluentes:
Nec tuus vsquam illi placido fauor altus Olympo
Defuit, aut mollis pacato lumine vultus.
Vnde quidem multa lætus cum laude vigebit
Æternùm & florens memori celebrabitur æuo.
Nimirum simul intrepidus te fidit in vno
Ilicet infesti perierunt funditus hostes,
Nec diuina tuæ fugerunt verbera dextræ,
Flammantésque iras: vt enim fornace sub ima
Æstuat ignis edax & sæua incendia miscens
Deuorat annosæ durißima robora siluæ,
Sic etiam iusta Deus altè accensus ab ira
Fudisti gentem inuisam, sceleratáque deinceps
Semina, progeniemque futura in secula perdes.
Illa quidem horrendo nimium se polluit ausu,
Et spirans immane nefas tua numina læsit
Dira, amens, Regem infanda dum cæde peremit
Ipsa suum, heu nostro scelus execrabile sæclo!
Ac licet insidias tendat, vitæque minetur
Magnanimi Heroïs qui nunc ad fræna rebelles
Cogit & acceptas rerum moderatur habenas,
Tu tamen hunc, pater, ætheria seruabis ab arce
Incolumen, ferroque hostes flammaque fugabis,
Impiaque ardentes vibrabis in ora sagittas.



In Scæuolæ Sammarthani Poëmatum libros.

HIC *Musa syluas perpetuùm comâ*
Lætâ virentes, inter & herbida
Semper recente prata flore
Prouocat Aoniam canendo.
Hîc in reductis vallibus abdita
Crypta latebis mistus Oreadum
Festis choreis, Najadúmque.
Hîc saliens Heliconis vnda
Nouum Poëtæ robur, & ingenî
Vires inhalat, fortia Principum
Seu gesta partitur virorum
Æoliæ fidibus camœnæ:
Seu dulcè ridens Phyllis in angulo
Prodit latebras indice se suas,
Et lubrico vultus hiantem
Insidiosa procum moratur:
Seu thyrsus acri liberior ioco
Catullientem ludit anum : iocis
Seu Dorium melos relictis
Fert animus grauiore plectro
Sonare, cantus Isacidûm pios
Donat Latina psallere tibia,
Vt numinis laudem erudita
Carmine posteritas loquatur.

Vt hæc seuero pectine Barbitos
Pulsauit, ægris pharmaca m ntibus
Amica, Naturæ latentes
Persequitur calamo recessus.
Infantulorum parua crepundia,
Morbos, medelas, pectora, corpora
Canendo format, Vtriusque
Artificem studij peritus
Æquare Phœbum, qui medicæ præest
Et musicæ dux, author, & arbiter,
Myrto caput lauróque cinctus,
Et croceis hederæ corymbis.
Videbis Vno Pindarici libro
Cæique dulcem carminis alitem:
Videbis Ascræis Vagantem
Collibus Hesiodi camœnam.
Redux Olympo nobilis Orphej
Fluenta sistit, saxa mouet lyra,
Mulcet Tigres, superba dulcj
Colla iugo subigit Leonum.
Quæris Maronem? Quæris Horatium?
Vterque Viuos hic genij sui
Prodit lepôres: hic & ipse
Nomen Apollo suum sacrauit.

ADAMI BLACVODÆI
Pictauensis Consiliarij.



SCÆVOLÆ SAMMARTHANO Quæstori Galliæ dicabat Renatus à Cumontio Dominus de FIEF-BRVN anno 1605.

TEmporibus nostris en prodis Liuius alter,
Orator vehemens, atque poëta grauis.
Seu tentes Elegos, seu longum dicere carmen,
Ipse tibi Naso cedit, & ipse Maro.
Inter Romanos celebratur Tullius vnus
Eloquij Latij cui datur omnis honos.
Hos solus numeris æquas, beneq; arte loquendi,
Quæq; viros ornant quattuor vnus habes.
Ingenij varias dotes tibi numina donant,
Illustremq; domum prospera quæque beant.
Fœlix ob fratres, fœlix & coniuge, necnon
Prole tuas sequitur quæ numerosa vias.
Fortunate senex, inter tibi sanguine iunctos
Lætor ego affinem me voluisse Deos.

SCÆVOLÆ
SAMMARTHANO.

SCæuola qui patrios reuocas ad ſidera manes,
Aſſuetus geminæ plectra mouere lyræ,
Calliopes ne prius mirer, Cliûs ne laborem?
Magnus vterque labor, ſummus vbique lepos.
Quæ quibus anteferam? numeris ſeu lege ſolutis
Ferris, & egregios tollis in aſtra viros:
Seu tu Dircæum penna ſectaris olorem,
Parnaßi ve alia ludere parte iuuat:
Das famam viuis, vitam das lumine caßis,
Illud amicitiæ eſt, hoc pietatis opus.
Macte animo, venerãde ſenex, tibi carmine parta
Gloria nobilibus creſcet ab exequiis.

IANVS PREVOTIVS
Auratus.

PAC.



V. C.

CL. PVTEANI

memoriæ. S.



Vdet fateri, lente inérsque barbite,
Iam nona meßis appetit,
Puteanus ex quo seculi splendor sui
Vrgente fato extinctus est,
Nec dum sepultis tāti amici Manibus
Pias dedisti lacrimas.
Sed cum sub imis hæreat præcordijs
Hoc funere acceptus dolor,
Nulláq; poßit arte, nullo tempore
Nostrum leuari tædium,
Vt sit aliquantò serior, semper tamen
Hic luctus opportunus est.
Adeste vos ergo Deæ & iustißimis
Vltro fauete næniis.
Hic vester ille est, luce quem prima editum

Fouistis in blando sinu,
Qui vestra coluit sacra sedulus puer,
Factusque demum grandior,
Siue ille Græca, seu Latina conderet,
Ante vnus ibat cæteros,
Vatúmque censor ipse vates optimus
Phœbi tuebatur vices.
Seuera donec inuolans in hunc Themis
Totúmque vendicans sibi,
Me sequere, dixit, faxo tam rara indoles
Emergat isto ex otio.
Tu quicquid olim Roma victrix gentium
Sanciuit æquis legibus,
Antiquitatis quicquid in sinu latet
Me consequeris auspice, &
Has tibi per artes summa honorum ad culmina
Certissimam sternes viam.
Te purpuratum splendidos inter patres
Augusta cernet ciuitas,
Te populus omnis iura dicentem colet,
Colent & ipsi principes.
Hæc Dea; nec anni deinde multi effluxerant,
Rata cum fuerunt omnia.
Tumuit superbus amne toto Sequana,
Tumuit ocellus Galliæ

Lutetia ingens facta nunc ingentior
Tantis alumni laudibus,
Et ciue in illo nacta Budæum alterum
Ad sidera caput extulit.
Quis enim tribunal ad supremum doctior,
Quis venit vnquam iustior?
Quis comitate, quis pudore præstitit,
Virtutibúsque cæteris,
Quibus micabat hoc nefando seculo
Ceu nocte sidus aureum?
Sed lustra nondum vixerat planè decem,
Cùm debili in corpusculo
Paulatim adultus calculus teterrimos
Primùm dolores attulit,
Mox lethum & ipsum, lugubrémque vatibus
Causam canendi præbuit.
Ipse ego senili membra cui torpent gelu
Desueta longo tempore
Ad plectra redeo, penéque oblitas mihi
Tremula manu tento fides,
Nunquam huic labori præstiturus me parem,
Nisi qui mihi cor excitat
Amor in sepulti nomen ardentißimus
Dissolueret frigus meum.
Vos patre digni liberi, quos æmula

Doctrina virtutis comes
Ducit paratæ laudis ad verum decus
Paterna per vestigia,
Beatiores viuite, & quos abscidit
Annos parenti pertinax
Bonis nocere Parca, nunc tandem æquior
Vobis rependat singulis.

Sçæuola Sammarthanus M. P.



PAG.



Pag.	*Lin.*	*Errata*	*Emendationes*
3.	11.	lacymans	lacrymans
10.	26.	ſigne	ſine
27.	18.	omen	omnem
47.	22.	frangrantia	fragrantia
62.	2.	ſæue	ſæuæ
66.	4.	inſenſa	incenſa
107.	8.	Nemeſiis	Nemeſis
116.	20.	puplica	publica
113.	8.	Atgiuæ	Argiuæ
129.	7.	Stauerim	Srrauerim
132.	14.	præmiis?	præmiis
235.	12.	inter	iter
138.	8.	ſiue	ſine
142.	19.	fueri	fuerit
146.	20.	omneum	omnium
163.	14.	rutillas	rutilas
ibid.	23.	Nonſtríſque	Noſtríſque
167.	15.	Maruotia	Mauortia
175.	16.	Millæ	Mille
176.	20.	in ſula	inſula
179.	16.	Cauſeis	Caucaſeis
ibid.	24.	iſpe	ipſe
180.	17.	tant os	tantos
184.	15.	auris	oris
186.	2.	poſtraui	proſtraui
187.	12.	en	in
193.	16.	in ſuper	inſuper

Pag.	Lin.	Errata	Emendationes
206.	vlt.	Caſlra	Caſtra
209.	20.	mnere	munere
216.	5.	celebrem.	celebrem
218.	18.	flordia	florida
219.	13.	Hymmettum	Hymettum
ibid.	18.	aliena	alieno
225.	11.	ſuſpira	ſuſpiria
ibid.	22.	ſeruenti	feruenti
226.	14.	poſicis	poſitis
ibid.	16.	optatat	optata
229.	10.	efferet	efferret
230.	11.	reddiuiuum	rediuiuum
23 .	9.	Examines	Exanimes
240.	5.	ſpudiis	ſtudiis
258.	21.	qui	quid
265.	20.	armore	amore
267.	1.	obido	obibo
276.	10.	temere	demere
278.	21.	Greco.	Græco.
302.	16.	uoui	noui
310.	9.	Mam	Nam
313.	25.	fragantis	fragrantis
314.	1.	quidem	equidem
318.	17.	eximij	eximiis
321.	2.	debora?	Debora?
323.	16.	Fœmina	Fœminæ
325.	10.	ob orta	oborta
ibid.	26.	impios	impos
331.	25.	commitas	committas
336.	22.	ſilen ea	ſilentia
347.	25.	Incolumen,	Incolumem.

FINIS.

